

Badische Landesbibliothek Karlsruhe


Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Narratio comica de amicitia Damonis ac Pythiae

Omichius, Franciscus

Noribergae, 1617

[urn:nbn:de:bsz:31-138648](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138648)



72 A 53 77 R

NARRATIO

COMICA,

DE AMICITIA DAMONIS
AC PITHIÆ,

Rhythmis olim Teu-

tonicis contexta à M. Francisco Omi-
chio, Ludimoderatore Gufstro-
vienfi,

Nunc prefatione Latine conversa

à

M. GEORGIO MAURICIO
WITTEBERGENSI.

*In usum Altdorfinae Academiae, Panegyris
41. Anno 1617. celebrantis.*




NORIBERGÆ,

Typis LUDOVICI LOCH-
NERI.

(1617)

AK 3 am 72 A 5344R



Nobiliss. Magnificis, Anopliss. ac Prudentissimis Viris,

D. GEORGIO VOLCAMERO,
D. LEONHARDO GRUNDHERR,
D. MARTINO PFINZING,
D. CHRISTOPH. LÖFFELHOLZ,

Septemviris.

*Florentissima ac celeberrima Noribergensis
Reip. Senatoribus dignissimis, & inlyta Academia
Aldorsina Scholarchis munificentis-*
simis,

DD. ac Mæcenatibus meis præclarè me-
ritis, & adhuc merentibus,

hanc narrationem Comicam cum
debita observantia

D. D. D.

cliens ac civis subiectissimus,

M. GEORGIUS MAURICIUS.





PERSONÆ FABULÆ.

Dion.

Dionysius, Sicilia Rex.

Philetus

Hybristes

Philotyranus

Misophilosophus

} consilarii.

Nuncius.

PLato Philosophus.

Amicitia.

Veritas.

Damon

Pythias

Miles

Amica militis.

Sunuchus.

Puer Dionis.

Dromo, servus Philotyranis.

Lictor.

Servus lictoris.

A 2

Thraso

Thraso } satellites regii.

Sthenius }

Melibæus } rustici.

Egon }

Hospes seu caupo.

Uxor Damonis.

Syrus servus.

Philoxenus } fratres uxoris Damonis.

Menedemus }

Alexander } Affines.

Philippus }

Filiolus Damonis.

Filiola.

Symmachus }

Theodorus } plebeii cives Syracusani.

ACTU-



ACTUUM SINGULORUM PERIOCHÆ.

I.

Dionysium juniorem, Sicilia tyrannum, quem pater quondam à Philosophie studiis abstractum, turpibus modò gaudere voluptatibus docuerat: Dion propinquus & tutor in virtutis viam, ab Hercule etiam in adolescentia electam, suis monitis perducit: utq; porrò à Platone, Philosophorum Deo illo, quem Athenis Syracusas evocandum contendit: rectè gubernanda Reip. artem discat, eidem persuadet.

II.

Longinquum igitur Plato iter ingressus, in Siciliam tandem venit: regemque instruit, quomodo civibus volentibus miti imperio præesse debeat. Regem præterea hor-

tatur, ut ad gubernacula Reipub. viros bonos, doctos & sapientes admoveat: talesq; amicos sibi adsciscat, firmamentum regni atq; presidium futuros. Rex itaq; à Platone ac Dione persuasus, Damonem & Pythiam Pythagoreos in numerum consiliariorum cooptat.

III.

Eos enim ipsa Amicitia Regi commendarat. Atq; illi, à Dione in aulam adducti, praeclare apud Regem de amicitia concilianda & retinenda disserunt. Hoc verò cateri consiliarij, homines indocti quidem, sed vafri ac fraudulentissimi, quorum auctoritas ita evilescente videbatur: egré ferre, Dionem ac Damonem, quasi vitæ & imperio Regis insidiantes, calumniari, eoque rem deducere, ut Dionysius irâ incensus, optimè de se meritum Dionem capitali statim afficere supplicio in animum induceret.

IV.

Sed Dion à præfecto cubiculi præmonitus, se quidem & Platonem maturè fugiendo servavit. Damon verò, instinctu istorum Sycophantarum, ad mandatum Regis, quamlibet innocens tetro carceri est inclusus. Sed
roga-

rogatus à Damone cubiculi præfectus, cum
purgat apud Regem: ac monstrat à hominis
innocentiâ, & uxoris ejus liberorumq; inopiâ,
multis tandem precibus obtinet, ut Rex Da-
moni potestatem faciat domum abeundi, te-
stamentumq; condendi: ea tamen lege, ut in-
terim alius quispiam in captivi locum tan-
quam vas sese sistat. Pythias itaq; ab Ami-
citiâ monitus, specimen dat fidei certæ in re-
bus incertis: carceriq; & morti se pro Da-
mone amico libens offert, ipso Rege non in-
vito.

V.

Damon autem ad uxorem & liberos præ-
fectus, sortem suam indignam ipsis aperit, &
quanto in periculo apud Regem Sicilia verse-
tur: quodq; animus sibi sit, expeditis rebus su-
is, & uxore ac liberis amicorum fidei & curæ
commendatis, ad mortem certissimam rever-
ti, commemorat. Quamvis autem uxor &
affines eum ab hoc proposito dimovere con-
ventur: tamen ille perstitit in sententia, &
ubi suis extremum valedixit, iter Siculum
denuo est ingressus. Jamq; educto ad suppli-
cium amico & vade Pythiâ, in ipso temporis
articulo Syracusam advolavit, amicum fide-

lem ex presentissimo vitæ periculo liberavit:
Et hac constantiâ suâ regis Dionysii animum
ita flexit atq; molliuit: ut is non solum huic
nobili amicorum pari vitam donaret, sed
etiam dignitatem pristinam restitueret, seq;
tertium in amicitiam ipsorum adscisci
postularet. Quod quidem facili-
mè impetravit.



Atm



Actus 1. Scena 1.

DION:

Sæpe ego meditatus sum mecum
& ita autumo: nec argentum, nec
aurum, nec gemmas pretiosissimas
tantum hominibus afferre utilitatis;
quantum afferat honesta educatio & ad
virtutem assuesfactio. Hac enim solâ re
vel infimæ conditionis homo ad summâs
dignitates, & culmen honorum ascende-
re potest. Atq; ejus rei (ne longius abeam)
ex me ipso exemplum sumo. Nun-
quam enim ad illam potentiam & aucto-
ritatem, quæ mihi in hoc regno obtigit,
pervenissem: si eam vivendi rationem,
quam adolescentulus sum ingressus, por-
rò etiam servâissem. Sed bona quadam
fortuna factum est, ut me in divini Plato-
nis disciplinam maturè darem. Ille hono-
rum meorum inventor, inceptor, atq;
perfector fuit. Illi uni acceptum refero,
A s quòd

quòd Dionysio Syracusarum rege, amico
utar. Absq; Platone enim fuisset : Et vo-
luptatibus ego totus immerfus : & tyran-
nidem pariter amplexus fuisset. Sed im-
mortales Philosophorum illi principi gra-
tias me debere profiteor : Sub cujus disci-
plina in bonarum artium virtutisq; studio
tantum profeci : ut nihil in vita magno pe-
re expetendum arbitrarer , præter laudẽ
atq; honestatem : eosq; penitus contem-
nerem, qui luxuriã & crapulã dediti, ar-
cem regiam vitã suã turpissimã contami-
narent. Hinc enim factum, ut Dionysius
Senior me sibi generum adscisceret , in
matrimonium mihi collocata Areta filia
sua : quã mihi etiam ipsis oculis charior
semper fuit. Itemq; omnibus aulae suã af-
fectis injunxit, ut me tanquam à rege pro-
ximum omnibus modis venerarentur,
jussisq; meis haud segnus, quã ipsius re-
gis mandatis obtemperarent. Cumq; in-
gravescente atate graviter decumberet:
Ac fatalem vitã suã horam non procul
abesse intelligeret : Ego cum aliis amicis
ad lectulum ægrotantis adstici. Ibi tum rex
regnum suum, thesauros suos, uxorem ac
liberos

liberos suos mihi moriens commenda-
vit: Et ut illorum curam gererem, manda-
vit. Quod equidem me pro eâ fide, quâ
regi obligatus eram, facturum recepi: ac
pro virili adhuc præstiti. Nihil enim ho-
nestius esse duco, quàm tutelam eorum,
quibus præfecti sumus commodò gerere:
& in hujus muneris curatione nullâ mo-
lestiam fugere, nullum recusare pericu-
lum. Quoties verò ista de re cogito (cogi-
to autem sæpissimè. & ea sub noctem re-
currat cura) toties non possum non dole-
re ac deplorare heu! infelicem hujus re-
gni statum. Cumq; Dionysii regis filius
jam ex ephebis excesserit, & brevi ad rem-
publicam accessurus sit: non solum utile,
sed etiam necessarium esse censeo, ut is
Philosophiæ studiis rectius ac plenius in-
formetur. Non enim illud diuturnum ac
stabile regnum esse potest, cujus guberna-
cula homo imperitus ac rudis tenet. Cul-
pa verò malè educati filii, in regem paren-
tem non injuriâ confertur. Is enim sæpe
ringebatur, meq; iracundis oculis aspici-
ebat, cum de laudabili principis junioris
institutione per occasionem dicere ag-
grederer.

Putat

Putabat enim eò spectare mea consilia,
ut regi puero persuaderem, blanditiis &
largitionibus permovendos esse subditos,
ut adversus regem jam senem societatem
coirent, eumq; tota insula expellerent.
Itaq; parens Dionysium puerum solum in
conclavi quodam custodiebat, ita ut ne-
mini, qui recta eum monere in animum
induxisset, ad eum aditus patèret. Facile
enim astutus senex poterat conjicere: eū
qui cum sapientibus assidue conversatur,
sapientem evadere. Sicut qui cum forti
bellatore nunquam non vivit: ipse etiam
in bellis ac præliis fortem atq; animosum
se præstat. Quamobrem filium suum phi-
losophiæ rudem esse Rex voluit, & nescio
quid puerilium nugarum potius exerce-
re, quàm ingenuis artibus imbui. Jamq; &
pater diem suum obiit: & in filio omnis
ferè ad virtutem indoles interiit. Volu-
ptatum namq; obscenarum is mancipi-
um est: ac valdè vereor, ne patrem in u-
surpanda tyrannide olim imitetur. Quod
si fiat, maxima in rempublicam mala ne-
cesse est dimanare. Ea si præcavere & pro-
hibere, adolescentisq; ingenium liceret
Accte-

nectere, ut sanis consiliis aurem præberet:
næ ille rex futurus esset cùm felicissimus,
tum laudatissimus. Atq; hanc ob causam
nihil non tentabo, si fortè possim illi per-
suadere ut Platonem, Deum illum Philo-
sophorum, Athenis in Siciliam evocet:
ab eoq; benè vivendi, & rempublicam re-
ctè gerendi præcepta cognoscat. Nisi hac
via res succedat: nihil amplius opis aut
consilii reliquum esse videtur. Ibo igitur,
& rectà me ad regem conferam, ut super
hac re sermones cum ipso cædam.

Actus I. Scena 2.

DIONYS, DION, PUER.

TAndem aliquando regnum Syracusa-
num, quod multis annis non sine pe-
riculo expectavi, in mea manu est. Siqui-
dem pater meus, nescio quibus percussus
suspicionibus, me non semel occidere
tentavit. Sed jam ille mortuus non ampli-
us mordet: ego autem in portu navigo, &
regnum potentiamq; omnem solus obti-
neo: mihi summi & infimi, divites & pau-
peres, nobiles & plebeji subsunt, ac velint
nolint

nolint obtemperant. Ecquis me vivit hodie fortunatior ? Ut autem regni mei splendorem amicis & familiaribus testatum faciam : Per totos nonaginta dies magnificentissimum & sumtuosissimum instruam epulum : Ubi ludis equestribus, cantu, saltatione, comotatione se quisq; oblectet pro arbitrio. Et qui in quocunq; sanè certamine palmam cæteris præripiet, is regale à me præmium feret. Id enim animo meo fixum sedet, omnem posthac in luxu ac deliciis ætatem agere. Nam quis scit, an adjiciant hodiernæ crastina vitæ tempora Dii superi ? Et quid deniq; prædest, tot civitates gubernâsse, tot gentibus imperasse ? Cùm pallida mors æquo pulset pede pauperum tabernas, regumq; tures. Vivamus ergo, dum fata sinunt : Et sardana-pali more edamus, bibamus ac libidinem exsaturemus. Cùm enim semel nobis occidit brevis lux, Nox est perpetuò una dormienda.

DION. Quid ego ex te audio, Domine ? Itane crapulæ & aliis turpibus voluptatibus te vis dèdere ? At perpende quæso

quæso, quis sit exitus vitæ luxurioso-
rum: nec vitæ tuæ telam ante tempus
abrumpe. Audi obsecro patienter &
clementer, quæ ego paucis sum dicturus,
Meministi procul dubio, quid parens tu-
us, jam animam agens mihi madaverit:
quàm graviter, quasi futura prælagiens,
me admonuerit, ut te quàm optimè edu-
candum curarem. Quoties itaq; datæ fi-
dei & jurisjurandi mei recordor: toties
non possum facere, quin te, quocunque
tandem animo verba mea accipias, sub-
moneam, ut ventura fugias pericula. Ni-
hil enim pensi habes, quid civibus tuis fi-
at: modò liceat tibi indulgere genio, &
totis nonaginta diebus pergræcari: ô do-
lor, ô dedecus! ô labes. Namq; haud istas
delicias præsens tempus sibi postulat. Sed cū
gubernationē Reipublicæ tanquàm onus
gravissimum susceperis: Vigilandum est,
agendum est, benè consulendum est. Sic
omnia prosperè cedent. Itaq; optimo a-
nimo te rogo atq; obtestor, ut aliam
nunc vitæ rationem ingrediaris, & co-
gites, quid personā tuā sit dignum. Qui
enim laudabiliter impèrio præesse cupit:
necef-

neesse est animum ad Philosophiæ studi-
um applicet, & ab ineunte ætate cum om-
nes alias virtutes, tum in primis justiti-
am & æquitatem colat: ut ita subditis su-
is bono exemplo præeat: nec unquam
contra honestatem ac decus quicquam a-
gat. Quod si princeps eum se præster,
munusq; suum ex præscripto virtutis ad-
ministret: non dubium est, quin regni ne-
gocia feliciter successura, & Respublica
pacata sit ac florens futura. Quin etiã sub-
diti non detrectabunt parère tali regi, sed
& tributa libenter solvent, & vitam ipsam,
re ita ferente, pro salute ejus impendere
parati erunt. Vicini deniq; principes eum
in oculis ferent, ac summa prosequentur
benevolentia. Et cui non videatur exo-
ptabilis, principem omni virtute excul-
tum, quàm crudelem Tyrannum appel-
lari? Hæc igitur animo tuo infigas, quæso,
Domine: nec liberio rem admonitionem
meam odio aut malevolentia dignam ju-
dices. Certè enim propterea dixi, quæ-
cunq; dixi: ut regnum tuum sit florens, sit
quietum, sit stabile; tuaq; Reipublicæ ge-
rendæ ratio non solum in populo tuo, sed
apud

apud exteros etiam principes laudem ac
prædicationem mereatur.

DIONYS. Semper habebō in me-
moria atq; in pectore, quæ jam suggestisti,
DION. Nec enim oblitus sum, quanta sol-
licitudine, & meam, & totius regni salu-
tem parens moriturus tibi commendarit.
Hoc unum miror, quòd vitio vertendum
mihi putes, quòd tantam potentiam con-
secutus, voluptate capiar, quæ habet quid-
dam naturalis boni. Næ tu iniquus in me
adolescens vidèris iudex, qui æquum
esse censet, me à pueris illico nasci se-
nem, neque illarum affinem esse rerum,
quas fert adolescètia. Ecquando tu homi-
nem adolescentem vidisti, qui à volup-
tibus abhorruerit? qui non præsentibus
deliciis animum expleverit? Quod si ali-
quando capularis fuero senex: tùm satis
maturè voluptatibus nuncium remisero.

DION. Aberras à vera sententia, o
Rex: atque idcirco erras, quòd Philoso-
phiam non attigeris, nec quid inter volu-
ptatem & honestatem intersit, didiceris.
Voluptas enim etsi prima specie blandi-
tur, tamen est ex earum rerum numero,
B quæ

quæ nigram caudam trahunt, & tandem
in maximas calamitates præcipitant. Lon-
gè tutior est via illa, à virtute Herculi mô-
strata. Nam qui virtutis est studiosus: is
ad honorum & potentia fastigium ascen-
dit: nomenq; suum immortalitati com-
mendat.

DIONYS. Quem tu mihi Hercu-
lem, quam virtutem nominas? An nescis,
me à parente solum in conclave inclu-
sum & ab hominum conspectu & collo-
quio remotum, in historiis plane hospite-
tem esse? Veruntamen, non pudor est,
nil scire: pudor, nil discere velle.

DION. Narrabo itaq; si placet, hanc
historiam, ætati tuæ accommodatissimam.
Hercules, Jovis & Alcmenæ filius, cùm
primùm adolefceret, in solitudinem fer-
tur exiisse, ibiq; sedens, diu secum delibe-
râsse, volupratemne an virtutem conse-
ctari melius esset? Tunc ei duæ foeminae
dicuntur obviam venisse: quarum una
pretioso, splendidoque vestitu ornata, &
nitore fucato illita: altera veste vili candi-
dâq; amicta ac vultu modesto & liberali
præditafuit.

Dio-

DIONYS. Di boni, quid audio?

DION. Cùm ambæ jam propius ab Hercule abessent: altera illa antevertens, Herculem ita alloquebatur: si tibi me amicam adjunxeris, in viam te perducam jucundissimam atque facillimam, in quâ omne quidem genus deliciarum gustabis, asperum autem vel insuave nihil experieris. Non enim te negotiis arduis immiscebis, sed dispicies, quo pacto opiparis epulis, ac dulci potu, & optatis amoribus fruaris, sensusq; omnes suaviter oblectes.

Hæc cùm Hercules audivisset, de nomine mulieris percontatus est. At illa respondit: ab Amicis quidem, Beatitudinem, ab Osoribus autem per contemptum Ignaviam se vocari.

DIONYS. Dic porro, mi Dion, quis finis hujus colloquii fuerit, & utri istarum foeminarum Adolefcens nomen suum dederit?

DION. Accedens postea & altera mulier: Novi (inquit) parentes tuos, ô Hercules, & indolem tuam, liberal emq; institutionem.

Unde spero, te à virtutis viâ non de-

clinaturum. Si enim Græciæ universæ admirationi esse postulas: danda est tibi opera, uti beneficijs Græciam demerearis. Siq; animus fert, ex rei militari potentiam tibi comparare: discendæ sunt artes bellicæ à peritis, atq; exercendæ, ut & amicos defendere, & hostes domare possis.

Si corpus benè firmum habere desideras: laboribus ac sudore illud est exercendum. Nullas enim res bonas ac honestas dii largiuntur hominibus sine labore & diligentia.

DIONYS. præclare quidem hæc dicuntur: sed difficulter peraguntur. At quid interim quaeso, Hercules?

DION. Cùm interpellasset ignavia: & viam nimis longam ac inamænâ à virtute monstrari dixisset: Hæc acriter illam objurgavit, quòd non intelligeret, quid verè esset suave ac bonum? Sed voluptatum usu immodico ac præmaturo, vim naturæ inferret, stolidis sectatoribus suis illuderet, & corpus effectum, morbisque & molestiis plenum senectuti traderet. Unde & à cœtu Deorum exclusa, & apud

Graciz univēsa
s: danda est
tam demere
re milcaripo
dilectis ac ho
exercenda, ut
hostes doman

habere desit
illud est exer
bonas ac ho
ibus sine la

dem hac di
uratur. Ac
?

et ignavia:
nā a vir
critur illam
eret, quid
ed volupta
turo, vim
atoribus sibi
, morbisque
uti traderet
exclusa, & a
put

puḍ honestos homines in contemptu
esset.

Contra, virtutem affirmavit Deo ac
viris bonis esse familiarem : neq; ullum
opus honestum sine ea fieri.

Amicis verò ejus, quia famem & si-
tim expectent, cibum & potum esse ju-
cundissimum : somnum quoque à labore
gratiorem. Quin etiam virtutis stu-
diosos juvenes, Deo charos, amicis dile-
ctos, ac civitatibus suis venerabiles esse:
& quamvis vitā defunctos æterna nomi-
nis gloria florere. Quamobrem si Her-
cules honestos labores alacriter susce-
perit : summa ipsi felicitate potiri li-
cere.

Adolescens itaq; , oratione utriusq;
mulieris accuratè perpensa , tandem
virtutis viam sibi ingrediendam existi-
mavit : & hac duce, labore autem co-
mite , multa pulcherrima & præclarissi-
ma facinora edidit, quæ passim literarum
monumentis sunt prodita : & quibus
hoc consecutus est, ut in Deorum nume-
rum referretur, eiq; templa, aræ, & sacri-
ficia

ficia publicè constituerentur. Quocirca exemplum Herculis tu quoq; , Domine, si me audies, imitaberis virtutem studio-
lè coles, atque ita nominis immortalita-
tem consequeris?

DIONYS. Pulcherrima aëdopol ac memoriâ dignissima est hæc historia: quam unde decerpseris, aëo scire.

DIONYS. Cùm adolescentulus u-
berioris ingenii cultus capiendi causa, A-
thenas me contulisset: in sapientissimi
cujusdam viri noticiam perveni, cui no-
men Platoni. Is suis de virtute disserta-
tionibus narrationes tales aptè non raro
interferebat. Ac sanè quotiescunque
ejus viri recõdor, toties in quenquam
hominum tantam ac tam divinam sapi-
entiam cadere posse, vehementer miror.
Neque dubito, quin si coram illum audias,
vel ad studium virtutis cohortantem,
vel à vitiorum fœditate dehortantem:
summæ hoc tibi voluptati sit futurum.
Nihil enim tam præclare à me dici potest,
quin virtus ejus id omne quàm longissi-
mè superet.

DIONYS. An non ergo sapiens il-
le mu-

le munificentia nostrâ allici, adduciq; posset, ut Athenis in Siciliam trajiceret, mihiq; præsens præsentilla, quæ tu tantoperè extollis, edissereret?

DIONYS. Facile hoc ab illo obtineri posset, si ipse, ô Rex, literis annulo tuo absignatis, eum accerseres. Quibus & ego meâ manu exaratam adjiciam epistolam. Penitus enim persuadeo mihi ipsum in gratiam tuam & meam libenter in hanc insulam appulsurum: ac spondeo fore, ut Platonem audisse nunquam te poeniteat.

DIONYS. Vellem is statim hic adesset! verùm abi tu, ac literas matura, & ad hominem mitti jubere.

DION. Rectè curabitur, tu modò sis otioso animo.

Heus puer, ubi es?

PUER. Adsum Here: dic quid velis?

DION. Curre ocius, & aliquem è regis tabellariis mihi accersere: cui dic, properato opus esse, ut gravissimorum negotiorum causa, simul atq; cras illuxerit, peregrè abeat.

PUER. Jam faxo hic aderit. Qui servus bero meo servire bene postulat, eum non somnolentum aut vecordem esse oportet: sed exsuscitare se, & heri negotia impigre exsequi. Aliter enim si faciat, ulmi tergo ejus insultabunt. Quod mihi ne accidat, cavendum gradusq; celerandi sunt.

Actus I. Scena 3.

PHILETUS, HYBRISTES, PHILOTYRANNUS, MISOPHILOSOPHUS.

AUdivi hic consilia quaedam agitari: Quibus si parebitur: nax, omnino nos perimur, neque in rege amplius praesidij quicquam habemus. Quamobrem, viri amicissimi, mature illi rei necesse est occurramus, ne in nos haec cudatur faba.

HYBRIST. Quidnam id est? die obsecro.

PHILOTYR. Itidem ego velim, ut de toto negotio nos breviter edoceas

PHILET. Dicam. Fortè fortuna hodie regem nostrum, ante prandium in palatium

palatio vidi obambulante[m]. Ad quem
scelestus ille Dion audacter accessit, ne-
scio quos aureos Philosophiæ montes
pollicens. Ego per rimulam introspexi,
& auscultavi. Atq; ibi deprehendi, hoc
consilium regi à Dione suggeri, ut in ad-
ministranda Rep. laborum socios sibi ad-
jungeret viros bonos, prudentes, litera-
tos: eos autem procul à se segregaret, &
cane atq; angui pejus odisset, qui esca vo-
luptatis ipsum allicerent. Breviter, in
hoc unum studebat ille sapientulus, ut a-
pud regem omnia posset, & regem suis
propè dixerim nutibus obsequentem ha-
beret. Hæc jam dudum animo volvit ac
revolvit: dum eò rem tandem perduxit,
ut rex animum induxerit Athenis accer-
sere Philosophum quendam, nomine Pla-
tonem: ex cujus unius consilio regnum
administraretur, sententijs nostris spretis
penitus ac repudiatis.

Ita quidem sceleratus Dion sentie-
bat & loquebatur.

Vos autem, si viri estis, conatibus e-
jus in tempore obviam ite. Quid enim
incommodi nobis hinc metuendum sit,
facile conjectura assequi potestis. Quam-
obrem

obrem in medium consulite, quomodo nobis caveamus, ne illius imperio subiecti esse: & quicquid illi placuerit, nolentes volentes exsequi cogamur.

Mea sic est ratio, & sic cogito cum animo meo: Aut vi, aut astu impedienda esse hominis consilia: & malum aliquod ipsi machinandum: ut suoapte exemplo ac periculo discat, non ceteros omnes præter se, fungos esse ac stipites, qui nihilo plus sapiant, quam occisa sus.

Agite quaeso, amici, quid vobis de illo negotio videtur?

HYBRIST. Utinam dii deaque omnes illum perduint! qui nobis impunè se illusurum sperat! Aut ego stricto illum gladio adoriar, adeoque depexum dabo, ut Deum atque hominum fidem necesse habeat implorare.

PHILOTYR. Eho, tu ferro ac viribus rem decernere cupis? Quin suppeditabo aliud consilium, minus cum periculo conjunctum. Nam si ad regem patuerit aditus, ac ego solus cum solo fuero: profectò animum regis adversus Dionem ita exulcerabo, ut nisi vitæ periculum adire velit,

velit, turpi fugâ se ex hâc insulâ proripere cogatur. Spero, feliciter rem successuram. Nam etiamnum vivente Dionysio seniore, novi quosdam, qui sibi viderentur sapientissimi, & alios omnes quasi plumbeos, aut caudices præ se contemnerent. Sed cum mores eorum amplius ferre non possem: regis animum ab ipsis abalienavi, atq; effeci, ut aut possessionibus suis ejicerentur, aut etiam capitis poenam luerent. Quod si nequam ille Dion molestus nobis esse pergat: tum Jupiter me perdat, nisi Sophistam illum perdidero. Veniet enim opportunum ejus ex rerum naturâ tollendi atque eripiendi tempus.

PHILETUS: Ergo in præsens quiescamus, & ne consilium hoc eliminetur, omnibus modis caveamus.

MISOPHI. Silentium ab unoquoque nostram imprimis requiretur. Ita enim pristinam dignitatem retinebimus, nec destituemur potentiâ.

Sin docti solum ad rerum gubernacula sederent: nobis fame pereundum esset. Cum tamen certum sit, sana consilia no-

lia nobis in mentem non minus venire,
quàm illis hominibus de Schola, qui mihi
gubernatores ex libro videntur esse. Sed
utinam omnes illorum libri cum posses-
soribus suis aut flammis exusti, aut in ma-
re demersi essent! Tùm enim major fu-
tura esset nostra auctoritas. Atq; equidem
nihil non tentabo, ut quicumq; eruditio-
nis nomine se venditant, ex aula regis ex-
terminentur. Jam intrò eamus.

HYBRISTES. I præ, sequemur.

Actus I. Scena 4.

NUNCIUS.

Quisquis junior equo vehi, & re-
gem quacunq; iter habentem sequi
consueverit: eum ubi tandem consenuerit,
ac pristinas corporis vires amiserit,
portis claudendis & aperiendis adhiberi,
vulgò perhibent.

Quisquis item florenti ætate militiæ
se dederit, & fortiter in hostes depugna-
verit; decursa ætate, si res bene cadat,
hospitem agit publicum, & cauponam
excuset.

Quid

Quid quaeso me tandem fiet, ubi pe-
dum celeritate non amplius praestabo?
Fortasse canum expellendorum provin-
cia mihi demandabitur? Atq; utinam tam
sim felix, ut provincia aliqua mihi deman-
detur, nec plane desertus & egens ab o-
mnibus ipse rejiciatur atq; expellatur. Equi-
dem sic vulgaris aularum mos est: Dum
vires anniq; sinunt, labores tibi gravissi-
mi imponuntur. Ubi omni corporis vi-
gore defectus, annisq; & pannis obfitus
sis: Hæu, veteris meriti gratia nulla ma-
net! Sors eadem mihi quoq;, ut videtur,
olim est expectanda. Jam enim per an-
nos octodecim regis defuncti cursor fui,
ac vix tantum mercedis accepi, ut duram
inde famem levarem. Nec post illius
obitum aut requies ulla mihi conceditur,
aut finis laborum apparet. O ac vox for-
tuna, quantum juris tibi in me vindicas?
quam durâ ac diuturnâ me pauperie gra-
vas? Quam longinquis ac difficilibus iti-
nerib⁹ me conficis? Nam etsi languidi sine
pedes, tamē necesse est me viam currere.
Qui enim fatalibus Parcarum tabulis ad
pedestria itinera cōdemnatus est: ei equo
portari

portari nunquam licet. Ibo igitur Athenas Atticas, quò me misit herus meus, ut ludimagistrum quandam adducam, qui regem adolescentem sapere doceat.

Via quidem tamesi longinquæ me non pigeret: modò ille homo me sequeretur, & regem impelleret, ut à tyrannide ablistens, mitius ageret cum miserâ plebeculâ. Tum enim operam suam præclarè impendisset. Sed valdè vereor, ne ille lâterem lavet. Nam difficilis labor est, vetulos adstringere loris, ire viâ solitos liberiore, canes. Quod si ille præceptor ante annos decem advenisset, & regem puerum seridè ferulis castigâisset: fortassè naturam ejus vitiosam expellere, saltem corrigere potuisset. Qui verò Dionysium jam adultum asperioribus sanare instituat remedijs: is profecto malam institutionis suæ reportet mercedem. Sed digito labella mihi sunt compescenda. Nam si, quæ liberius modò dixi, rescisceret rex: longam procul dubio ex me literam faceret, aut caput meum unâ cum barbâ rescicaret, ne ullo amplius tonsore mihi opus foret. Periculosum namque est, ei ma-

Verùm

ledicere, qui malefacere quibusvis potest.
Verum quid otiose cesso? quin potius iter
Athenas dirigo. Vos interim bene va-
lete ac vivite.

Actus II. Scena I.

PLATO, NUNCIUS.

Dionysius Siciliae rex, itemque Dion, mi-
hi longo tempore amicissimus, mis-
sis literis, etiam atque etiam me rogant, ne
in Siciliam dubitem quam primum trans-
fretare; Id enim toti regno plurimum
esse profuturum: quod rex adolescens
magno jam institutionis & consilij mei
desiderio teneatur. Ego vero incertus
sum, utrum faciam? committamne me
huc itineri? an scriptis literis me ventu-
rum negem? Nam vir sapiens priusquam
aliquid incipiat, secum accuratè oportet
meditari, quid vel commodi ex incepto
suo consequi possit. Hæc igitur si per-
pendo, & quæ sit mea infirmitas, attenti-
us considero; alieno me hercule tempore
iter illud ingressurus videor. Hominem
enim ætate confectum procellis æquoris,
& tempestatum injurijs sese exponere,
mini-

minimè consultum videtur. Prætereà, etsi non haberem quod Neptunum accusarem, sed incolumis Syracusarum urbem ingrederer; tamen non liquet, an rex monitis & consilijs meis locum sit daturus? Nam & superioribus annis navigavi in Siciliam, ac seniore[m] Dionysium de regum officijs commonefeci, suasiq[ue], ut esset placidè potens, neq[ue] imperium vi & crudelitate injusta se stabiliturum speraret. Sed ille me ditione sua expulit: & ego exsul captus in servitutem datus, de ipsa prope modum vita periclitatus fui. Si itaq[ue] Dionysius filius paternum referat ingenium: (ut mali corvi, malum esse solet ovum) in capitis discrimen certissimum conjiciar.

His de causis domi potiùs manendum, quàm peregrè abeundum mihi videretur.

Ex altera tamen parte etiam illud occurrit: quòd non solùm nobis nati simus; sed partem ortus nostri alij quoq[ue] homines sibi vindicent. Idcirco enim in hujus mundi domicilio à Dijs immortalibus collocati, & ratione, sapientia, atq[ue] eruditione ornati sumus; ut fructum ingenij doctrinæ

doctrinaq; nostræ in proximum quemq;
transferamus. Petenti igitur regi ope-
ram meam non possum denegare: sed
audacter ad opus accedam, si fortè aliquis
ex meâ cohortatione fructus ad Siculos
redundaret. Nam si regis ingenium fe-
rox ac fœvum mollire non nihil atq; ad le-
nitatem inflectere: ac certâ & laudabili
gerendæ Reipub. formâ ipsi præscriptâ,
efficere possem ut, secus quàm parens fe-
cit, clementiâ in cives suos uteretur: esset
sanè, de quò mihi gratularer, & profecti-
onis hujus nequaquam me poeniteret.
Sed tabellarium advenientem conspi-
cor, qui responsum (nisi fallor) à me po-
stulabit.

NUNCIUS Doctissime Domine, est-
né animus tibi mecum Syracusas profici-
sci: quemadmodum rex meus petuit?

PLATO. De hoc ipso jam mecum con-
sultavi, sitné manendum, an abeundum.
Vides meam senectutem ad longinqua
conficienda itinera minus idoneâ. Quod
si insuper hujus præfectionis nullus fru-
ctus ostenderetur: Id longè magis dole-
rem. Speremus tamen optima, atq; iti-
neri

C

neri

neri nos accingamus. tu si paratus es satis, ego in mora non ero.

NUNCIUS. Quod venerande atq; optime senex, iter mecum inire, & ad regem nostrum vis contendere: laudo, & magnas tibi ago gratias. Neq; dubites, quin rex Dionysius operam tuam liberaliter sit remuneraturus. Interim ego omnia adornabo, ut quamprimùm navem conscendere, & ventis secundis in Siciliam trajicere possimus. Nam & mihi hoc tempus, quo domo absum, nimis longum videtur.

PLATO. Intrò itaq; eamus, & ad iter necessaria comparemus.

NUNCIUS. Sequor.

Actus II. Scena 2.

AMICITIA, VERITAS.

Proh Deum atq; hominum fidem! Itane tandem ab omnibus repudior, ut nemo sit mortalium, qui me hospitio excipiat? Omnes quidem nomen Amicitiae crepant, sed ipsa res planè friget, atq; inter homines extincta esse videtur. Ego itaq;

itaq; virgo misella, egens, deserta, abjecta, his propemodum terris cogor excedere.

VERITAS. Mulieris alicujus vocem modò audire mihi visa sum. Atq; eccam. Hei mihi, quàm flebiles edit sonos! quàm amaras fundit lacrimas! Accedam ad illam, & percontabor de causis tristitiæ: fallam te esse, mulier, cupio? Quid est, quod sic ejulas? Quis te adversus oppressit casus? Licernè hæc ex te cognoscere?

AMICITIA. Fatum meum miseror ac lugeo, cui apud mortales nusquam locus. Si igitur fugæ comitem te mihi vis adjungere: quæso mentem tuam mihi aperias.

VERITAS. Atqui ignoro, charissima, quanam sis tu, & quorsum tendas?

AMICITIA. Amicitiam me usurpant, qui boni ac sapientes sunt. Horum autem quia vix totidem sunt numero, quot Saturno fuerunt filii: jam extremis per terras factis vestigiis, in cælum sobvolatura sum.

VERITAS. Ergonè, ò Dearum nobilissima, in tam vasto mundi ambitu nullus Amicitiaë relictus est locus? Fuit tempus, cum putarem, me solam terrigenis invisam esse: me solam exfulio damnatam. Nunc verò ambæ (ut video) eidem obnoxiaë sumus infortunio. Itaq; conjunctæ, si placet, fugam arripiemus.

AMICITIA. Verùm & tu prius nomen tuum mihi ediffere.

VERITAS. Nomen veritatis est mihi, quæ perinde ac tu nullo numero & loco habeor, eandemq; tecum fortunam experior. Nam & à privatorum domibus exfulò, agrosq;, silvas ac solitudines peragro. Nec in potentiorum limina admittor, ubi regnat Adulatio, Fraus, Simulatio, Calumnia ac similes pestes. Viri-
tatem quisquis profiteretur, aut fatui hominis somnium censetur, aut profligatissimorum hominum odiis atq; injuriis exponitur. Succedit in locum Veritatis Mendacium: quemadmodum & cæterarum virtutum sedem omnis generis vitia occuparunt. Itaq; capi egomet aliquando mecum sic cogitare: Hem, Magnates ac Principes
me

me dedignantur ac repudiant. Quid si plebecula, mei miserta, favore suo me complecteretur? Quare cum ad plebejos accederem: initio quidem humaniter me exceperunt: mox verò (quod fieri posse non arbitrabar) me in exsiliū eiecerunt. Ut ita verum experiar, quòd quales sint domini, tales servi: quales principes, tales subditi. Quippe tam summi, quàm infimi, cooperti sunt vitiis atq; flagitiis. Nec pudet eos jactare sua scelera, aut rectè factorum nomine quasi in volucro quodam tegere.

Adeò passim Veritas contemnor atq; abjicio: adeò (quod cum summo dolore queror) omnibus invisa repudior.

AMICITIA. Molestum est mihi cognoscere, ò Veritas, quòd tu eodem malo, quo ego jacteris, neq; uspiam consistendi aut commorandi locum invenias.

VERITAS. Atqui vix credibile videatur, mea Amicitia, tibi nullum inter homines locum relinquere. Certè enim nulla res est, quæ pulcritudine ac dignitate tecum possit comparari. Te & juvenes, & senes: Et splendidiore, & tenuiore in oculis

culis ferunt. Quis enim est, qui non expectat amicitiam? Quorsum tot fœdera feriuntur? tos societates ineuntur. Nonnè ad confirmandam ac stabiliendam amicitiam? Itaq; non usq; adeò mentes omnium à te averisæ videntur.

AMICITIA. Sed heustu, nonnè illud ad aures tuas aliquando venit? Vulgus amicitias utilitate probat. Quæcunq; enim hoc seculo junguntur amicitia: eæ privati emolumenti causa junguntur. Hinc qui locupletes & copiosi, ac munifici sunt, amicis abundant. Et donec eris felix, multos numerabis amicos. Tempora si fuerint nubila, solus eris. Uno verbo, larvam amicitia: præ se ferunt omnes: veram ac genuinam amicitia: faciem nusquam videris. Itaq; diutius hîc durare nequeo. Nâ eo sum ingenio, ut bonos ac honestos viros inter se devinciam, quiq; solius virtutis rationem ducant in concilianda amicitia, & eam sincerè, ac sine dolo & fraude tueantur. Quiq; non spe commodorum suorum, sed solius amici gratia faciunt, quicquid faciunt: & cùm in secundis, tùm in adversis rebus iidem sint semper.

VERI-

VERITAS. Doceas me quæso, mea
tu, anne unquam ejusmodi habueris se-
clatores, qui vel sanguinem ac vitam pro-
fundere non dubitarint?

AMICIT. Reperi sanè nonnullos & in
Græcia, & in Italia, tam fideles mutuae a-
micitiæ cultores, ut alter pro altero & o-
pes, & liberos, & uxorem, & deniq; sei-
psum periculò exponere sustinuerit. Cu-
jusmodi perhibentur Pylades atq; Orestes:
Patroclus & Achilles: Titus atq; Gisippus:
item Nisus & Euryalus. Ab his me in ho-
nore habitam, verè possum prædicare. Ex
quo autem illi diem suum objerunt; & ipsa
propemodum occídi atq; interii. Neq; si-
milis amici videndi mihi data est ex eo
tempore copia. Veruntamen spes est fo-
re, ut in aula regis Dionysii talis aliquis mi-
hi offeratur, qui fidus sit ac constans ami-
cus. Istuc itaque me conferam, & id ne-
gotii, quantum possum, promovebo. Te
ò Veritas obsecro, ut in regiam me comi-
teris, si placet.

VERIT. Toto quidem animo tibi
comes

C 4

comes esse optarem. Sed nescio quomodo, aula verâ ac liberam orationem ferre non possunt. Diu itaq; ab aula exsulavi: quòd viderem, adversarias meas infensissimas, Calumniam & Assentationem, ibi primas tenere: & quicumq; me venerarentur & magni facerent, odio ac favitiâ regis, vel tyranni potiùs, aut oppressos, aut ex palatio ejectos esse. Quamobrem sine me sola istuc licebit cõtendas. Ego interim in angulum aliqùd concedam, & te, dum ex arce redeas opperiari. Vale.

Actus II. Scena 3.

NUNCIUS, DION, DIONYSIUS, PLATO.

L Audes gratesq; ago superis, qui me in tam periculoso itinere servârunt, & cum Platone incolumem huc perduxerunt. Jam pergam, atq; Dioni hero meo nunciabo, virum illum Athenis advenisse, ad quem accersendum missus eram.

DION. Diurnam tabellarii nostri absentiam valdè miror. Atq; (ita ut fit) alia

EX

ex aliis cogitanti in mentem nonnunquam venit; fieri potuisse, ut Plato in Siciliam venire recusaverit. Interdum etiam his rebus sollicitor, ne salus ipsius in discrimen uspiam venerit. Hei misero mihi si vir optimus atq; doctissimus nostrâ causâ aliquid incommodi perpeffus fuerit! Verùm opportunè tabellarium video de quo fueram locutus.

NUNCIUS. Salutem tibi opto, here.

DION. Cur tam diu in via moratus es? Annè Platonem Philosophum tecum adducis?

NUNCI. Factum est here, ut iussisti.

DION. Itaq; regi ipsi hoc quam primum necesse est referam. Atq; ex sententia res succedunt. Eccum enim Regem ipsum. Nuncium exoptabilem Rex nuncio Plato enim Syracusas jam appulit, sicut ipse tabellarius indicium mihi fecit. Equum ergo videtur, ut obviam ipsi eamus, eumq; honorificè excipiamus.

DIONYSIUS. Pergratum fecit nobis, quòd huc venerit. Itaq; cum aulico comitatu occurrentes, sapientissimum hominem gratulabundi excipiemus, ac deinceps

inceps in arcem deducemus. Verùm, est-
ne is ipsus, quem stantem illic video. Oc-
curremus homini. Salvum te, Plato, adve-
nisse gaudeo : quodq; rogatu nostro ex
Gracia ad nos proficisci non dubitaveris,
ago gratias : relaturus etiam & clementia
in te usurus, ubi ubi se offeret occasio.

PLATO. Quanquam ò Rex, multa e-
rant, quæ me ab hoc itinere deterrere po-
terant : Inter quæ illud non postremum
est : quòd ipsa senectus me infirmo-
rem facit, ut ad longinquum iter suscipien-
dum minus sim idoneus : Tamen his non
obstantibus, iter sum ingressus. Agnosco
enim, me operam meam debere omni-
bus, quibus illa prodesse potest. Idcirco si
quid consulere possum, quod in rem tu-
am sit: libenter, tum tibi, tum universo
regno tuo operam meam præstabo.

DION. Salvere te jubeo, Plato exopta-
tissime. Quàm merui, ne quid in itinere
isto incommodi (quod fieri facilè potest)
tibi accideret. Nunc verò cum te valen-
tem atq; viventem aspicio : summoperè
gaudeo. Memini enim, me puerum à te
ad laudem atq;, honestatem informari,

ari-

animumq; meum studiis Philosophicis
excoli : Pro quo equidem beneficio pa-
rem gratiam reddere non possum. Erudi-
tionem autem tuam Regi commendavi:
Qui peculiari missio tabellario te vocavit :
Ut seutili consilio , & præclaris monitis
tuis instrueres. Quemadmodum ipse di-
fertis verbis hoc à te postulabit.

DIONYS. Hæc ipsa, Plato, tui in Sici-
liam vocandi causa fuit: Ut accuratè nobis
explicares, quomodo regnum sit admini-
strandum, ut opibus firmum, copiis locu-
ples, gloria amplum, ac virtute honestum
sit. Hoc enim opus initio gubernationis à
nobis perfici, maximè videtur necessari-
um. Ac quicquid suaseris, monuerisvè: In
eo tibi nos obsequentes habebis. Scimus,
regendæ Reipubl. præcepta olim à te tra-
dita esse. Itaq; ut eadem nobis quoq; pro-
ponas, majorem in modum rogamus.

PLATO. Mihi verò pergratum est, Rex
potentissime, quòd tanta fide ac sollicitu-
dine, civium tuorù salutem defendendâ
suscipias. Ac tibi, quicquid ad Rempubli-
cam feliciter gubernandam pertinere in-
telle-

tellexero, paucis explicabo. Illud ante omnia tenendum videtur: Totius civitatis mores ad exemplum magistratum conformari: Et nihil tam efficax esse ad inflectendas mentes ac sensus eorum, qui imperio subjecti sunt, quam ipsius principis vitam. Ut enim in bello ducum lituos castra tota sequuntur: Ita principum seu virtutes, seu vitia populus consuevit imitari. Itaque semper tu hoc facito cogites, tute ut sis optimus: Et cives tuos faciendo rectè facere doceas, Nam si ipse modestiæ, temperantiæ, ac justitiæ documenta in te dabis: & præclaris legibus atque institutis Rempublicam compones; facilè tuorum civium luxuriam & temeritatem coerceris, & virtutis laudisq; amore accendes.

Deinde in pænis exigendis moderationem adhibebis: & imperium credes gravius esse ac stabilius, quod amicitia adjungitur, quam illud, quod vi obtinetur.

Quia vero princeps non per se ac solus omnia efficere potest: necesse est consiliarios sibi adfiscat, doctos, prudentes, ingeniosos, ac viros bonos. Nam tunc de-
mum

num beatæ erunt respublicæ, si aut do-
cti & sapiētēs homines eas regere cœpe-
rint: aut qui regunt, omne suum studi-
um in doctrina ac sapientia collocarint.

Et de consiliariis quod dixi, id in ipso
corporum cælestium motu nobis adum-
bratum videtur. Jupiter enim tanquam
aliquis in cælo rex, non supremo aut imo,
sed medio quasi loco inter planetas est
positus: Saturnum puta ac Mercurium,
qui semper ejus latus cingant. Ac inter il-
los Saturnus quidem senex, & usu atq; ex-
perientiâ rerum instructus: Mercurius
verò doctus est & facundus. Ita etiã prin-
cipes, eos faciant consiliorum suorum
participes, qui & longâ experienciâ, & do-
ctrinâ præclarâ ceteros antecellūt. Quiq;
donis se corrumpi non patiuntur, ut ad
gratiam jus dicant: Sed integritatis a-
mantes, fideles ac veritatis studiosi sunt.
Acut sol, decus cæli & rex stellarum om-
nium, Mercurium sibi proximè adjun-
git: Ita principes cordatis & sapientibus
viris hunc honorem habeant, ut eos à la-
tere suo nunquam discedere patiantur.
Gravis enim & intoleranda res est poten-
tia,

ria, quæ comitem non habeat sapientiam
& animi lenitatem. Sin ambæ conjungan-
tur, & ut ita dicam, amicè conspirent: dici
non potest, quantum commodi rebus hu-
manis afferant. Idq; etiam præsci illi reges
observassè mihi videntur, qui doctis ho-
minibus plurimum tribuerunt, & collo-
quia cum illis habuerunt frequentissima.
Sic Cræso familiaris fuit Solon; & Creon-
ti Thebano vates Tiresias Sic Regum Rex
Agamemnon, in bello Trojano Nestoris
usus est consilio, eumq; vel decem prætu-
lit Ajacibus. In hæc igitur exempla intuen-
s, Dionysi rex, consiliarios tibi delige
homines, sapientiâ & doctrinâ præstan-
tes.

DIONYS. Video animum tuum, Pla-
to, nostrorum commodorum studiosum:
ac probo illum docendi morem, quod ex
empla vetusta, tanquam vades sistas, qui
promonitis ac præceptis tuis quasi spon-
deant, & veritatem illorum compro-
bent.

PLATO. Neq; illud, ô Rex, prætereun-
dum,

habent sapientiam
ambo conjunga-
re conpirent: dicit
modi rebus hu-
mansi illi reges
qui doctis ho-
runt, & collo-
quentissima
on: & Creon-
te Regum Rex
iano Nestoris
decem pratu-
exempla intu-
os tibi delige
na praestan-

rum, Pla-
studiosum:
em, quod ex
les listas, qui
s quasi spon-
m compro-
x. praterent
dura,

dum, ut in delectu amicorum, tantum vi-
rorum bonorum habeas rationem: quo-
rum fide ac probitate tuto niti, & tam in
secundis quam adversis rebus juvari ab i-
psis possis. Neq; verò (quod pace tuâ di-
xerim) hac in re exemplum parentis tui
imitere. Is enim nemini fidebat, nemini
amicus erat. Itaq; nec sibi fidelem quen-
quam reperiebat: Sed metu & terroribus
exagitatus, in carcerem quodammodo
ipse se includebat.

Longè alia mens fuit Darii Persarum
Regis: qui cum nihil magis Regi com-
modum, necessariumq; duceret, quam a-
micos fideles: Septem elegit spectatae vir-
tutis Satrapas, qui in expediendis negotiis
publicis, Regis quasi manus & administri
forent. Idem amicum habuit Zopyrum,
in gratiam Darii nihil non aggredi atq; au-
dere paratum. Ut enim potentissimâ Ba-
bylonis urbem in Darii potestatem redi-
gere posset: nares sibi præcidit & auricu-
las, flagrisq; tergum suum concidit: atq;
ita Babylois astute imposuit à quibus
rece-

receptus & copiarum dux constitutus, urbem regi suo prodidit, alioqui forsitan inexpugnabilem futuram. Talibus ergo Darius amicis stipatus fuit: his consiliorum sociis regnum suum firmavit.

Idem Athenienses, cives mei intellexerunt: & si quam urbem deditione cepissent, virum aliquem bonum quasiverunt, qui ibidem Reipub. præset, & Atheniensibus amicus esset. Ita contra hostes, quantumvis multos, se defenderunt: & quietum imperium vel periculosissimis temporibus ad annos septuaginta, amicorum fidelium operâ retinuerunt.

Quæ cum ita sint: eandem, ô Rex, viam insistas, & primùm omni virtute civibus tuis præluceas: nec turpes voluptates amplectaris, nec morum asperitate, & savi-
tiâ gaudeas: sed ad pœnas piger, ad præmia velox sis. Deinde des operam, ut viros tibi adjungas peritos ac sapientes: quorum ductu & consiliis rempub. gubernare ne tepigeat. Sic enim florebit regnum tuum, & quasi tutissimo præsidio munitum erit: nec unquam tui nominis gloria intermoriatur. Postremò eos tibi famili-

ares

ares facito, quorum sit constans benevolentia & fides explorata : quiq; non tantum in prosperis tibi adulentur sed etiam in adversis rebus te non destituant. Hæc sunt, de quibus nostrâ voce te moneri licuit : quæq; tu exitu ipso vera esse deprehendes.

DIONYS. Gratiam habeo, senex doctissime, pro tam salutaribus admonitionibus tuis. Operamq; dabo ut secundum illas negotia regni deinceps administrentur. Nam si jamdudum res nostræ aulicæ ita, ut tu vis, comparatæ fuissent : melius nobiscum actum fuisset. Quod verò neglectum est hactenus, id in posterum summa curâ sarcietur, ac monitis tuis satisfiet. Nunc amabo, mi Plato, ad prandium venito mecum.

PLATO: Fiet, Rex, quod imperasti,

Actus II. Scena 4.

SYMMACHUS CIVIS, HYBRISTES
Consiliarius.

Eône rem inter homines nunc rediisse, ut si quis mutuum quid dederit:
D pro

pro proprio fiat perditum? cum repetas enim, ex amico inamicum beneficio efficit tuo. Si magis exigere cupias, duarum rerum exoritur optio: ut vel illud perdas, quod credideris: vel illum amittas amicum. Quod mihi nunc usu venit. Nam civis quidam, cui pecuniam mutuò dedi, diem solutionis odiosè extrahit: ut bonam cum gratia creditum ab eo recipere non possim: Sed necessitas imponatur regem per libellum supplicem adeundi, ut pro imperio debitorem meum cogat ad solvendum. Sed quis contra me hinc fert gradum? Regis videtur esse consiliarius, per quem commodè querelam meam ad ipsum regem deferam. Adibo, & alloquar hominem. Salve bone vir.

HYBRISTES Quid est? quid vis tibi?

SYMMACHUS Literas fero, quas regi Dionysio per te, nisi grave est, reddi velim.

HYBRISTES. Quid in illis scriptum est? recense mihi breviter.

SYMMACHUS. Est hic quidam civis, homo fidei lubricæ, notus mihi à multis annis. Is cum nuper de egestate sua mihi queritar etur, opemq; imploraret meam: dedi

dedi illi argentum mutuò. Nunc cùm re-
peto, homo tergi versari incipit, ac lon-
giorem petit solutionis terminũ, magno
quod cùm incommodo rei familiaris meæ.
Itaq; te oro, ut in hac re adjutor sis mihi.

HYBRIST: Quomodo? quid vis faciam tibi?
SYMMACHUS: Hasce literas ut regi des: quò
mihi reddatur, quod meum est.

HYBR: Quanta ergo debiti tui summa est?

SYMMACHUS: Decem minarum.

HYBRISTES: Juvabo te quidem pro
viribus. Sed scisne, quid opus sit mihi?

SYMMACHUS: Sciam, ubi mihi dixeris.

HYBR: Dimidia mina. Nam si nummos
haves, exequar jus tuum. Aliã ratione non
licet. Proinde si vis tibi à me opem ferri,
cùm argentata ad me accedito querimonia.

SYMMACHUS: Vide, avaritia quid faciat?
Quia nihil habeo, quod dem: negligitur
jus meum. Quid agam hinc miser? Pecunia
aliunde capienda vel scenore est interim.
Age, minam cras dimidiam certò accipies.
Modò libellum hunc regi tradas, ut is me
suo adjuvet patrocinio.

HYBR: Fiet, modò argenti memineris.

SYMMACHUS: Dabitur: nullus dubita.

H 2

Haud

Haud auspiciatò, quantum video, pedem huc tuli. Nam quæ hæc impudentia, quæ injuria est? Ne illic quidem ubi Sicilia Rex sceptrum gerit, sine argento quempiam adipisci posse quod est jus publicum? Quid ago? Nisi cras dimidiam afferam minam; de cæteris in dubium venio miser. Sed potius quàm totum amittam; illud quod postulat alicunde comparavero, & rapaci illi milvio (quod nec bene vertat) tanquam offam objecero.

Actus II. Scena 5.

DIONYSIUS, DION.

NUnquam credidi, Dion, tantâ Platonem excellere sapientiâ, quantum re ipsâ jam cognovi. Nam præclarè admodum mihi de Republica gubernanda visus est disserere. Itaq; iis, quæ monuit ac suavitè, libenter obsequar. Cùm verò inter alia præceperit, ut viros doctos in amicitiam nostram recipiamus, & ex illorum consiliis Rempublîcâ moderemur: non satis mecum constituere possum, ubi binam locorum illi faciles sint inventu?

Age

Age itaq; mi Dion (nam te multis annis in urbe liberalissimis doctrinis affluenti vixisse, & cum hominibus eruditissimis familiaritatem contraxisse, novi) demonstra mihi, ecquibus in civitatibus aut regionibus doctorum virorum sit copia?

DION. Cum voluptate, Rex Dionysi, tua verba audiui, quibus te virorum doctorum consuetudine gaudere ostendisti. Sic enim omnino tibi persuadeas, nec civitatem, nec regnum ullum consistere diu posse, si bonorum ac prudentum virorum destituatur consilio. Hoc autem tempore (quantum ego quidem sciam) non ita frequens est hominum eruditorum numerus. Plurimos enim a liberalium artium cultu absterret contemptus ille, qui bonas literas comitari solet. Quotus enim quisq; est hoc seculo, qui doctos in precio habeat? Longè verò plures reperiuntur, qui illos irrideant atq; exhibeant. In precio precium nunc est: dat census honores. Si enim quis bene nummat^o alicui fiat obviam: illi assurgitur, ille capite aperto honoratur: illi de viâ deceditur, illi plausus datur. Siquis verò homo doctus

D 3 occur-

occurrat: nã ille limis adspicitur, fucus in-
ers & inutile terræ pondus appellatur: nec
ei, si ædes locupletioris intret, penulã scin-
ditur: quamvis honoris & dicis causa fal-
vere jubeatur. Ex quibus luce meridianã
clarius est, propterea bonas artes jacere,
quia à plerisq; improbantur: certè non
eã, quã decebat, munificentia aluntur &
excitantur. Sed quicquid sit: Duos adhuc
superesse novi viros doctissimos atq; in-
nocentissimos, Pythagoricæ prudentiæ sa-
cris initiatos: quos equidem, quin præter
ceteros probaturus sis, nullus ambigo.
Iiq; inprimis intelligunt, quã cautè &
circumspectè in conciliandis amicitiiis sit
agendum. Quocirca si tuæ Maiestati pla-
cet: exquiram illorum sententiam & ex-
piscabor, utrum illis libeat aulam tuam
sectari, & munere consiliariorum fungi?

DIONYS. Placet consilium. Itaque ne-
cessa, dum hoc effectum dederis, eosq; in
regiam adduxeris: ut ego juxtã cum ipsis
prudenter de omnibus rebus consultare,
& regni salutem procurare queam.

Actus

Actus II. Scena 6.

DION, DAMON, PYTHIAS.

Satis quidem prosperè res succedunt,
Diis sic gratia : cùm rex noster, Platonis
cohortatione impulsus, animum adjiciat
ad Rempublicam non suo pre unius arbi-
trio, sed de consilio prudentum & docto-
rum virorum gubernandam. Et commo-
dè sanè in mentem mihi venit Damonis
ac Pythiæ Pythagoreorum, quos sapien-
tiæ nomine passim audiui prædicari. Ac
nisi me oculi fallunt, ambo opportunè se
offerunt mihi obviam. Certè ii sunt. Ad-
ibo & alloquar. Incolumes vos advenire
gaudeo.

DAMON. Et te salvum atq; incolumem
optamus esse.

DION. Meministis procul dubio,
viri optimi, quos heri sermones inter nos
habuerimus, de vobis inter aulæ fami-
liares adsciscendis. Tantum enim effe-
ci apud Regem, ut vos in consiliario-
rum numerum cooptati, gravissimis
negotiiis expediendis unà mecum

D 4 ad.

adhiberemini Ne autem in primo (quod
ajunt) limine impingatis : néve ubi ad re-
gem ventum erit , pudor vos obstupe-
faciat : tectè vos monebo & amici officii-
um sequens : à rege vobis eam proposi-
tum iri quæstionem : Ecquorum uten-
dum sit consuetudine ? ecquibus aditus
ad regis amicitiam patère debeat ? ecquos
spes sit constantes ac sinceros futuros a-
micos ? Ad hanc interrogationem subji-
cienda vobis erit responsio. Itaq; ut satis
parati & præmeditati ad regem accedatis,
operam date.

DAMON. Quod nostri rationem ha-
bueris, optime Dion, Regiq; operam no-
stram non modò obtuleris, sed etiam
commendaveris: maximas, quas possu-
mus, tibi gratias agimus: neq; ulla hujus
beneficii tui memoriam delebit dies. Ad
propositam verò quæstionem quod atti-
net: securo atq; otioso animo te esse ju-
bemus. Quippe satis in his materiis exer-
citos nos esse confidimus. Etenim ego
& Pythias hic à puero amici fuimus: &
quid in legendis amicis potissimum spe-
ctare & sequi conveniat, exactè ut tene-
remus,

remus, omnes ingenii industriaeq; nervos
intendimus. Quod si Regi visum fuerit,
Reipubl. partem nobis gubernandam
committere: bonorum virorum officium
præstabimus, & totius regni commo-
dis pro virili parte consulimus.

PYTHIAS. Quamvis ego aularum con-
suetudine non usq; adeò delecter: tamen
quia fata nos educere videntur, non re-
pugnabo: nec in commissio munere fide-
m ac diligentiam meam ullo unquam
tempore patiar desiderari.

DION. Non dubito, quin Spartam ve-
stram præclarè sitis exornaturi, & Regis
expectationi per omnia satisfacturi.

Actus III. Scena I.

AMICITIA, DIONYSIUS.

Longum iter emensa sum, Rex poten-
tissime, & varias jamdudum peragra-
vi regiones, si qui fortè magnates ac prin-
cipes hospicio me exciperent, monitisq;
meis vacivas aures darent. Sed proh do-
dolor, pusillus est eorum numerus, qui
me non sunt dedignati. Itaq; in ipsam tan-

D s dem

dem appuli Siciliam, teq; suppliciter oro,
Rex Serenissime, ut me clementer exci-
pias, neq; admonitiones meas repudies,
Quibus equidem si locum dederis, non te
hujus facti pœnitebit. Nam qui me amans
& colunt: à multis certè molestiis atq; æ-
rumnis immunes, quietam & tranquillam,
addo etiam honoratam degunt vitam.

DIONYS. Audivi ô mulier, verba tua,
quibus ut amore te complecterer, à me
contendisti. Sed tu primùm mihi tuum
nomen dicas.

AMICIT. Hujus ædepol me neq; pu-
det, neq; piget. Nomen Amicitia est mi-
hi.

DIONYS. Tuné es Diva illa exoptabilis?
Equidem nisi præmonitus, te non agno-
vissem: neq; te (quod sciam) in regno
unquam conspexi meo. Mirabili sanè a-
mictu uteris. Dic age, cur nudo incedis
capite?

AMIC. Eo nempe sum ingenio, ut nu-
dè atq; apertè omnia agam, nihil vel simu-
lem, vel dissimulem: nullis utar blandi-
tiis, aut verborum fucis: sed candidè atq;
inge-

ingenuè tùm laudem , tùm vituperem:
tùm horter , tùm dehorter. Atq; hanc
nudam & simplicem vivendi rationem
omnes illi mecum observant, qui nomi-
na sua mihi dederunt : neq; compendiū
sui causā quicquam agunt, sed ubivis ami-
ci commoda salutemq; respiciunt.

DIONYS. Cùm verò dixeris, te annis ab-
hinc plurimis orbem terrarum peragrās-
se : quī fit, quòd formā etiamnum sis tam
venustā ac floridā, nec illa ætate deficiat?

AMIC. Quemadmodum forma mea
semper viget ac floret : ita etiam veram
amicitiam semper vigere, floridamq; &
novam esse convenit, quæ temporis diu-
turnitate non senescat, minuatur aut in-
termoriatur.

DIONYS. Quid autem docet vestis tua
tam vilis ?

AMIC. Vili propterea utor habitu, ut
ostendam, amicum fidelem, quamvis te-
nui sit conditione , nec opibus abun-
dans, nec clarus natalibus, nec famā
ingens : æquè tamen in precio haben-
dum

dum esse, ac si omnibus fortunæ bonis
afflueret.

DIONYS. At quid sibi volunt ista ver-
ba, in limbo vestis inscripta, MORS ac
VITA?

AMIC. Ne in secundis tantum rebus
amici simus: sed etiam in ærumnis ac pe-
riculis amico constanter adhaerescamus:
immò nec in ipsa morte ipsum defera-
mus. Nec amicis vita defunctis obtre-
temus, eorumq; navos odiosè in morem
hyanae refodiamus.

DIONYS. Fronti tuæ adjecta video duo
vocabula ÆSTATIS & HIEMIS. Quid-
nam latet sub illo involucre?

AMIC. Ne amicus columbas imite-
tur, quæ ad pulcras & copiosas ades agmi-
natim advolant, ad horrea autem inania
nunquam tendunt: nec hirundinum sit
similis, quæ æstivo quidem tempore præ-
sto sunt, ac hiemis asperitate pulsæ reced-
dunt, & terras calidiores petunt. Sedin
utraq; fortuna firmus sit ac constans ami-
cus: & hac maximè re ab adulate se dif-
ferre ostendat: quòd adulator, id est, olla
& mensa sectator, rebus tantum ex sen-
tentia

gentia fluentibus alteri blandiatur: muta-
to autem fortunæ flatu, & calamitatum
procellis ingruentibus, pedem referat,
nec passu tenaci perstet: quippe sui tan-
tùm commodi studiosus, nec amico ex
animo, & propter ipsum bene volens. Ac
sincerus amicus, sive amana sit æstas, sive
tristis hiems: eundem semper vivendi
tenorem observet: nec in pro'peris ami-
co aduletur, nec eidem adversis rebus
presso ac circumvallato indignetur.

DIONYS. Dic porro famina, cur ex-
tento digito pectus apertum monstres?

AMIC. Quia magnum hujus vitæ sola-
tium est amicus, cui secreta cordis tui tan-
quam ipsi tibi aperias, quiq; fideli eadem
silencio custodiat, nec præter rem & in a-
mici perniciem eliminet. Cùm contrà
assentator, rimarum plenus hac & illac
perfluat, nec commissum arcanũ in præ-
cordiis inclusum retinere possit. Insuper
& hoc innuere volo: inter amicos aperte
& candidè, non occultè aut insidiosè agi
oportere: sed ita ut os ac lingua per omnia
cum corde consentiant: nec illud vulga-
tum inter amicos locum habeat:

Melle-

Mellon est sermo, latet imo corde venenum:

Os nectar promit, mens aconit a vomit.

DIONY. Deniq; quamobrem cordi hæc sint insculptæ voces, Propè & Longè, scire pervelim.

AMIC. Amicitiam enim, si vera ac honesta sit, nec temporis longinquitas, nec locorum intervalla dissolvere queunt aut perimere. Nec enim fas est amicorum oblivisci, ob intermissam aliquandiu vitæ consuetudinem: sed eorum vel absentium memoriam perpetuò nobiscum circumferre æquum est.

DIONY. Satisfecisti mulier interrogatis meis, dum rationes vestitus tui, rari fanè ac inusitati, attulisti. Caterùm, dic age mihi, an in toto terrarum orbe quispiam reperiatur, qui omnes boni amici numeros, ita ut tu jam commemorâsti, expleat? Ego quidem in tota hac rerum universitate vel unum existere haud puto, qui amico in adversis secundisq; rebus æquè fidelis sit: qui absentem æquè ac præsentem diligit: qui in mortuum eodem sit amico, quo in viventem olim fuit.

AMIC.

AMIC. Rara quidem est hæc avis in
terris, & nigro cygno simillima. Verunta-
men reperti quidam sunt, qui secundum
leges, à me præscriptas, amicitiam sanctis-
simè & constantissimè coluerunt. ac non ita
pridem in hanc quoq; insulam duo vene-
runt hospites, viri integritate ac fide præ-
stantes, qui mea præcepta studiosè & ex-
ammissim sequuntur. Cum iis, ô Rex, famili-
ariter conversare. Ex illis enim plura de
me cognosces: atq; ipsi re ipsa demonstra-
bunt, quod sit ingenium verorum & mi-
nimè fucatorum amicorum. Quod si eos
in consiliarios tuorum numerum ad-
scripseris: Spondeo nunquam fore, ut te
hujus incepti pæniteat. Sed hem tibi illos
ipso. Ego interim abeo, ne vestra turbem
colloquia.

Actus III. Scena 2.

DIONYSIUS, DAMON, PYTHIAS, DION.
REm mihi gratam fecistis, Damon ac
Pythia, quòd me accesseritis. Ac mea
vicissim in vos constabunt officia, & me-
rita. Jam verò succinctè causam vobis ex-
ponam, quare vos accerserim. Gestit ani-
mus meus ex vobis cognoscere, quinam
sincerè

sincerus ac fuci expers sit amicus? & quomodo talis sit comparandus itemq; retinendus? Ea de re quid sentiat, agite sultis brevibus aperite.

DAMON. Quæstio illa, serenissime & clementissime Rex, quam modò proposuisti, admodum est necessaria. Nam mehercule in hoc universo nihil est, quo difficiliùs carere possimus, quam amicitia. Siquidem non aqua, non igni (ut ajunt) pluribus locis utimur, quam amicitia. Ac solem facilius è mundo sustulerit aliquis quam amicitiam è vita tollat. Siquidem nulla domus, nulla civitas, sine amicitia esset stabilis: nec agricultura, res familiaris, aut negotiationes, sine amicitia subsidio consistere possent.

Amicum autem fidum (cujusmodi unicum tantum in vita mea vidi) appello eum, qui omni tempore amicum ex animo & propter ipsum diligit: ac pro amici salute non solum fortunas, sed etiam vitam suam profunderè paratus est. Quiq; fortuna tum ridente, tum vultum contrahente, amico est præstò, immò nec in ipsa morte illum destituit.

DION.

DIONYS, Quid verò tu censes, Pythia?
De eodem negotio & tuam audire aveo
sententiam.

PYTHIAS. Damon amicissimus mihi, ô
rex præclarè equidem veri amici naturam
aperuit : ejusq; sententiæ per omnia sub-
scribo. Unicū jam dictis annectere placet:
nimirum quod veterum sapientū de co-
lenda amicitia fuerit judicium. Amicum
ajunt annulo aureo similem esse debere.
Ut enim aurum metallorum est pulcerri-
mum atq; præstantissimum : Ita inter o-
mnes thesauros, quos ad animi oblectati-
onem nobis comparare licet, pretiosissi-
mus est amicus fidelis, & in adversis ex-
ploratus. Ut enim ignis aurum probat,
sitnè purum putum, an verò adulterinum:
ita miseriæ ac tristitia tempora amicos ve-
ros atq; ingenuos demonstrant. Ac licet
ex orichalco splendidissimi coloris, an-
nulus aliquis affabre fieret: tamen integri-
tatem suam non retineret, sed aliquid
substantiæ amitteret, igne excoctus: ita
multi sunt in speciem amici, qui verbis
blandiuntur, ac pro amicis sese gerunt,
dum favet ac vultu ridet fortuna sereno.

E

Sed

Sed illi sunt amici (ut ita loquar) ex erichalco: nam fortunæ secundæ quasi velficatione mutata, amicos deserunt, & felices tantum colunt, miseros fugiunt. Immo sæpè tam fallaces sunt insidiatores, ut quos coram laudaverint, & quorum rationibus optimè se consulturos prædicaverint: eos absentes suggillent, & incautos in exitium demergant.

Præterea illi præsci sapientiæ magistri hoc etiam notarunt: quod sicut aurum mirè faciat ad corroborandum & reficendum cor: (unde plurimus ejus in medicina usus, quando animi ægritudo, mœstitiæq; pellenda est) sic & animo ægro, cumq; adversa sorte conflictanti, nullum veniat præsentius auxiliùm, quàm candidus & fidelis amicus. Candidus, inquam, & apertus, non qui in faciem mellita tibi loquatur, venenum autem intus in pectoris recessu occultet. Quiq; tali sunt ingenio, si pessimis modis, ut digni sunt, perirent: minus etiam esset malorum ac molestiarum in vita.

Ad hæc, ut non ubivis auri magna reperitur copia: ita etiam non est res ubiq;
obvia

obvia verus amicus. Sed ubi totum oppidum, totam provinciam perreptaveris: vix umbram amici deprehendes, cui tum pectus tutò aperias, cum quo secreta impunè communices, cui omnia sic credas, ut ipsi tibi: Postremò sicut annulus propter rotunditatem sine caret: ita etiam nullus sit amicitiae finis, sed perpetuus & illabefactus amicitiae tenor.

DIONYS. Prudenter tu quidem & egregiè de natura amicorum differuisti. Caterum & illud velim adjiciatis, qualem se quis præstare debeat, ut amicum sibi comparet honestum, fidelem, constantem?

DAMON. Hæc via insistenda est sinceris amicis parare cupienti. Primum elaborer, ut omnem suam vitam ad laudem atq; honestatem conformet. Tum se boni viri ultrò ipsi adjungent, & gratis omnia officiorum genera ipsi præstabunt. Nisi enim ex virtute nascatur amor, Sed spe commodorum ducatur: non me hercule diuturnus erit. Nam fortunæ prosperitate cessante, amicitia quoque cessabit,

E 2

Deinde

Deindè studeat & in verbis verax, & in factis minimè fallax ac fraudulentus esse. Nec quod hodiè affirmavit, cras neget: aut quod hodiè negavit, cras affirmet. Sed & severitas insit in vultu, arg; in verbis fides. Ita sincera & constans erit amicitia.

Tum diligentissimè etiam omnes causæ & occasiones dirimendæ, aut disfluendæ amicitiaæ caveantur: ut si ve joco, si ve serid, ea facias, quæ amico probentur, ac per se honesta sint: eaq; vites ac prætèrmittas, quibus honesti amici animus offendi possit. Quicumq; hæc in vitæ cursu observaverit: nã ille & amicos parare faciliè, & retinere nullo valebit negotio: atq; indè voluptatem haud vulgarem percipiet.

DIONYS. Assentior & huic mōnito vestro. Sed de numero etiam amicorum aliquid constituendum videtur.

DAMON. De eò non operosè quærendum puto: sed deplorandam esse potius amicorum hujus sæculi paucitatem. Ego enim fortunatum eum ducam, qui per omnem suam vitam vel unicum amicum certum sibi paraverit. Ad eò jam regnat hypocrisis & fraus:

& fraus: ut multis simulationum involu-
cris tegatur, & quasi velis quibusdam ob-
tendatur unius cuiusq; natura: & cum
frons, oculi, vultus sæpè mentiantur: tùm
verò oratio sæpissimè. Itaq; si quem sis na-
ctus, qui in tuam familiaritatem se insinu-
arit, atq; antè ignotus tibi fuerit: huic
quantum credendum sit, vide: non quin
possint esse aliqui viri boni: Sed quod hæc
sperare liceat, judicare periculosum sit.

DIONYS. Nunquam equidem tam ac-
curatè cum animo meo hæc perpendi. Et
perfectò vana persuasione & expectatio-
ne mea admodum fefellissem meipsum,
nisi jam meliora à vobis edoctus fuisset.

DION. Liceat mihi, Rex, interfari, &
bono animo tantùm unicum quid inter-
rogare. Quantum putas esse numerum
amicorum tuorum, quibus quidem in re-
bus adversis tutò inniti atq; confidere
possis?

DIONYS. Cùm primùm regni guber-
nacula susciperem: multi statim ad me
confluebant viri principes, juvenesq; no-
bilissimi, qui mecum genio & poculis in-
dulgerent: ac certissimos se mihi amicos

fore pollicerentur. Ac brevi tempore ultra centum amicos, qui se tanquam athenicum murum me septuros ac defensuros ajebant: aula mea vidit. Et ut dicam, quod res est, plurima distribui congiaria, ut plurimos mihi hac munificentia amicos adjungerem. Planèq; confido, si incommodò aliquo aut periculo urgerer: magna copia ejus adventuros, mihiq; praesidio (quæ admodum sanctè polliciti sunt) futuros. Sunt præterea multi mihi affines, & propinqui multi: quorum potentia, divitiis ac copiis securè niti, & liberationem ex malis ab iisdem expectare possum.

DION. Ah Domine mi, toto (quod pace tuâ dicam) cælo erras. Nam aliter se res habet in vera amicitia. Non enim blandis & sesquipedalibus verbis credendum est: sed considerandum, an ex animi sui sententia loquantur isti promissores, tantis verborum ampullis officia sua jactantes? Quovis enim Sacramento aut pignore contendam: in rebus miseris non praestituros illos promissam fidem: quamvis extra periculum constituti, magnificis pollicitationibus operam suam prolixè tibi

ibi detulerint. Quin potius ita acturos
certo scio, ut multiplices querant elabendi
vias: aut se non amplius horum, quæ tu
in culcas, verborum meminisse dicant.
Itaq; Damonis illa, Pythiæq; monita, ma-
ximè necessaria sunt mihi visa.

DIONYS. Non pœnitet me hodierno
die dissertationes vestras auscultasse, Viri
Optimi: easdemq; memoriæ infigam, &
per omnem vitam sequar. Nectam citò
ac faciliè amici nomine quenquam, haud
prius exploratum, dignabor. Jam valete
ac de meo in vos propenso animo ne-
quaquam dubitate.

Actus III. Scena 3.

DAMON. PYTHIAS, DION.

DAMON. Ille hinc abiit. Ego autem
quamvis inter aulæ familiares ac regis
consiliarios haud essem adscriptus, tamen
non indignarer. Nam hoc ævo quicumq;
optima consulere, & magnates de ratio-
ne gubernandi Rempublicam liberè mo-
nere instituit: in maximas sæpè angustias
ac pericula incidit.

E 4

PYTHI-

PYTHIAS. Equidem in suspicienda
hac provincia nequaquam audivimus Ma-
gistrum illum nostrum : qui non semel
admonuit , declinanda esse ejusmodi o-
nera, & fugiendas potentum amicitias. Il-
los enim se solos sapere judicare. Ac si
quis illorum sententiis adversetur, & quæ
incommoda in totam ditionem inde sint
redundatura, demonstret : in eum princi-
pes amaris dictis invehi, nec censorem
atq; Aristarchum æquo animo ferre pos-
se. Quod ne ad extremum nobis etiam
eveniat, valdè metuo.

DION. Et ego libens hanc molestiâ su-
perfederem : neq; inhiavi unquam tantis
dignitatibus , in quibus fellis plus inest,
quàm mellis. Nam ita res habet, ut mo-
dò commemoravit Damon. Qui enim ad
honorum fastigia evehuntur, & regibus
sunt à consiliis : eos anxietas premunt curæ,
urget multiplex sollicitudo, infectatur in-
vidia, odiumq; plurimorum. Nec ego ex
aliis audita loquor, sed ipse longo tempo-
re expertus sum , quanta sit plerorumq;
improbitas : quantæ adulationes in aulis :
quantæ verborum blanditiæ : quanta ani-
morum

morum perversitas. Si quem fides sua regi commendat, ut apud eum sit in gratia: multi existunt ejus adversarii, qui dies noctesq; inter se agitant consilia, ut eum malis artibus Regi in fensum reddant, deq; gradu dejiciant. Nam in aulis, ut lenta sunt beneficia, ita præcipites injuriæ, quas accipere & mustitare te oportet, si in aula velis consensescere. Et non rarò etiam infantes & fidelissimos consiliarios gravis manet exitus. Nam fluxa res est regum favor: & bene meritis pessima, ut plurimum, refertur gratia.

DAMON. Tanquam ex tripode hæc protulisti, Dion. Interim tamen negari non potest, Diis curæ esse illos, qui officio suo, ut debent, funguntur. Nos itaq; faciemus, quæ nostri sunt muneris: eventum autem ipsis numinibus commitemus. Spero enim futurum, ut, si qui injuriâ ac vi nos circumretire aggrediantur: fraus tamen ad illos ipsos recurrat, eosq; pessundet, à quibus fuit exorta.

E s Actus

Actus III. Scena 4.

MILES, & AMICA.

Qua de conditione mihi conduxerim, tenes, Pamphila.

AMIC. Teneo, ut annum hunc totum seruiam tibi.

MILES. Neq; quenquam interea virum alium prorsus ad te admittas.

AMIC. Sic est.

MILES. Mihi adhærebis, Pamphila. Quod ego iussero ac voluero, facies: quod noluero ac vetuero, fugies, neq; conari id facere audebis.

AMIC. Faciam, quod voluero, quod autem noluero, fugiam, Semper me solus ductabis tibi, si solus dabis semper, quæ poscam.

MILES. Ne sis sollicita: Sed responde mihi prius, quod te rogo. Etiamne ædes compilare nosti & scrinia?

AMIC. Væ homini isti, qui januam negligenter obseravit.

MIL. Etiam gallinaria?

AMIC. Perpulcrè.

MIL. Sed in furto deprehensa quid facis?

AMIC. Per nego & obduro, pejero deniq;

Tunc

Tum: Si cui quid debeo, rem tergo solvo:
An sic placeo tibi, Miles?

MIL. Optimè: sed cujas es?

AMIC. Cresla sum domo. (nisti?)

MIL. Sed qua occasione in Siciliam ve-

AMIC. Audire si lubet, dicam.

MIL. Lubet ædepol.

AMIC. Erat mihi paupercula mater, lana ac tela victum quaritans: quæ cum vidua esset, decentem me puellam cauponi dedit ancillam. Ibi ego herum mihi fidem fraudavi, heræ infidelis fui, parietes perfodi, manus alienis admovi oculis, damnoq; & dedecori heris fui: creditum quod fuerat, datum pernegavi, conceptis non raro verbis pejerans. Interim quicquid ego & Cellarius clam in cubiculo consumseramus, ille sciebat in rationes referre hospitem. Quadam verò nocte cum mihi persuasisset, quod amans solet amanti, ac plenam deinde navem vidisset: me relicta aufugit atq; erupit. Ego militem quendam, in cauponam nostram qui diverterat, secuta per mare officii causa, tandem in hanc appuli Insulam. Is autem in prælio nuper obiit, novisq; nuptiis torum vacuum fecit.

MIL.

MIL. Sat habeo, eamus intro.

AMIC. Ego verò, cùm sum assueta vino & multibiba: non prius intro, quàm certa sim, an vini veteris utrem hïc habeam, ut potem noctuatq; interdiu?

MIL. Cauponum obliviscendi mores, discendi stratiotici. Nam nos milites in straminea saepe culcitra dormimus, apudam edimus, flocesq; bibimus.

AMIC. Urtica victitare non didici. Itaque jam non intravero tecum.

MIL. Bono sis animo: si mihi fidelis fueris, nil deerit tibi.

AMIC. Impera mihi quidvis, & quovis modo. Scitè me accommodabo ad mores ac nutus tuos.

MIL. Sequere ergo, Pamphila.

AMIC. Sequor, ac tibi tantisper credo, dum argentum tinniverit.

Actus III. Scena 5.

PHILETUS, HYBRISTES, PHILOTYRANNUS, MISOPHILOSOPHUS.

Nunc, nunc tempus est deliberandi, ô focii, ecquid porrò nobis sit agendum?

dum? Meridianā enim luce clarius est, id
quod toto pectore doleo : Dionem &
complices ejus hoc pugnare, ut nos Regis
ludibrio exponant: eumq; ad gravitatem
quandam componant, ab omnibus deli-
cius ac voluptatibus abhorrentem. Nam
antehac Dionysius adolescens genio in-
dulgere, amare, potare, nugas agere sole-
bat. Quo tempore nos à Rege primi e-
ramus. Nunc autem longè alia rerum est
facies. Excidimus gratia Regis, spreti jacè-
mus, consilia nostra nullus assis æstiman-
tur. At Dionis verba, non sunt verba, sed
Apollinis oracula. Solus ille in confes-
sū palmam omnibus præripit : cæteri nullo
numero habentur. Hoc ego dudum vidi,
& invidi etiam Dioni. Ac jam res ipsa vi-
detur postulare, ut nisi à Sophista illo sub-
verti velimus, ipsi eum prius subverta-
mus, hominemq; in odium adducamus
apud Regem.

HYBR. Sceleratus ille, finoniis arti-
bus suis eò rem perduxit, ut solus apud
Regem omnia possit, solus prudentissimè
rebus consulere judicetur. Ac fuerunt,
qui dicerent, ipsum à Rege toti insulæ
præfe-

præfectum iri, & quasi Proregem futurum.
Quod si taciti hæc prætermitteremus: non
solum turpe nobis, sed etiam pernicio-
sum esset. Quamobrè stat sententia: per-
dendum hominem, ne ille nos perdat.
Perdendum inquam, & illum, & quicumq;
eandem cum illo sectam sequuntur. Sic e-
nim Regis gratiâ securè frui, & in consili-
is dandis primas tenere possumus.

PHILOT. Utile quidem id consilium,
sed tamen periculosum censeo.

MISOPHIL. Principiis obstandum pla-
nè ego puto. Nam si Dionis potentia in-
valuerit, serò medicinam parabimus. **Quin**
vos virilem animum geritis, atq; audacter
rem tantam aggredimini. Namque stulti-
tia est, magnum facinus timido cordi
credere.

PHILET. Pederentim & cautè nobis
progrediendum est. Coniunctis itaq; ope-
ris tentemus, quantum quisq; possit. Nam
ego miseris modis perire malim, quàm
committere, ut omnis auctoritas nostra &
pristina potentia non solum enervata lan-
guescat, sed etiam omninò extingatur.

HYBR. Maneo in sententia, collocan-
dos

dos alibi infidiatores, nempe sagittarios peritos, qui si fortuna volet, æmulum nostrum incautum telis excipiant, & ad tartara invisum illud caput detrudant.

MISOPH. Certe hæc res non carebit periculo, si (quod metuo) fiat tandem palam. Ideò tutius nos acturos puto, si veneno propinato illum ad inferos demittamus. Ecquid videtur vobis, socii?

PHILOTYR. Neq; hac via successurum videtur negotium. Quippe sunt homines illi circumspectissimi, neq; cibum neq; potum gustant, nisi prius ab altero exploratum, sitné salubris, an insalubris? Quapropter aliam ego insistam viam, & Dionem calumniabor apud Regem, perficiamq; ut is regni affectati reus agatur. Facile enim Regi, ad suspensiones proclivi, persuasero, Dionem non solum potentia, sed etiam vitæ ejus insidiari. Id ÿ; crimen (quâ sum vi ac copiâ dicendi) ita exaggerabo, ut omninò credibile videatur Regi. Cum ÿ; ego solus animum Regis tentaro: vos postea conjunctis operis eundem aggredimini, & tanquam arcem ab omnibus nudam præsidiis expugnate.

Jurare

Jurare auisim, hoc modo rem feliciter ces-
suram. Quis enim ignorat, Regem sem-
per in metu fuisse, ne aliquando in exsi-
lium pelleretur. Dum igitur animus ejus
in dubio est, levi momento impellam,
quocunq; voluero.

PHILET. Macte esto tam opportuno
consilio. Nemini enim nostrum hoc in
mentem venisset. Deorum auxilio fa-
ctum credo, ut tam commodè diceres,
quid facto esset opus.

PHILOT. Quandoquidem ergo idem
videtur vobis omnibus: curriculo pro-
curram ad Regem, ut soli cum solo confa-
bulari liceat. Atq; ipsum in tempore Dio-
nysium video.

Actus III. Scena 6.

PHILOTYRANNUS, DIONYSIUS.

Potentissime atq; invictissime Rex, Do-
mine clementissime: supplex oro, ut
quæ jam dicturus sum, benevolo animo
audias: neq; putes, me quicquam odio
aut malevolentia impulsam loqui.

DIONYS. Quid rei est? dic breviter.
Nam audire cupienti omnis mora longa
atq; molesta est.

PHILOT.

PHILO. Consilia ineunt quidam, non tibi solum, sed etiam regno universo pestem ac perniciem allatura, nisi maturè hominibus teterrimis occurratur. Planius, si vis, dicam & uberius. Cùm hodiè in arcem, ubi senatus habebatur, accessurus essem: forte fortuna in quosdam incidi, qui nescio quid de rebus secretiorib⁹ colloquebantur. Ego in angulum aliquem concessi, ubi à nemine videri, omnia tamen, quæ illi in medium satis clarâ voce afferebant, exaudire possem. Ne longum faciâ: deliberârunt illi inter se de te è medio tollendo, regnoq; Sicilia occupando. At tandè inter eos convênit, foederatos quosdam Principes adsciscendos esse, & Carthaginienses in auxilium vocandos: ut per vim te cum propinquis omnibus occidât, aut certè in exsiliumpellant. Cumq; per totam horam de hoc unico negotio sermones caderent: varias ejus expediendi rationes afferebant, varias artes recensebant, quas omnes memoriâ comprehendere non valebam. Tandem jurejurando confirmârunt, non se quieturos, priusquam, quod animo concepissent, effe-

F

ctum

atum dedissent, dominationemq; rapu-
issent. Hæc sunt illa, ô Rex, præclara con-
silia: hic conatus adversariorum tuorum.
Quem pro eâ fide, quâ tibi me obstructum
profiteor, ac præ me fero, tuam Majesta-
tem celare non debui. Quippe cum ejus-
modi molitiones cum certissimo Regis &
regni interitu conjunctæ sint. Quocirca
maturè necesse est, obviam eatur tam
sceleratis consiliis.

DIONYS. Quinam consiliorum isto-
rum sint architecti, statim me doceas vo-
lo. Non enim levia aut ludicra sunt hæc,
quæ narrasti. Et certè verba tua auscultan-
ti gelidus per dura cucurrit ossa tremor.

PHILOTYR. Alter eorum, quos con-
spirasse dixi, Dion erat, affinis tuus: alter
autem Damon, hospes ille Pythagoreus,
cui nuper inter consiliarios tuos locum
esse voluisti.

DIONYS. Ut illos Dii superi atq; infe-
ri malis exemplis perdant! Scilicet nus-
quam tuta fides. Menè servasse, atq; ad
honores evexisse, ut essent, qui me perde-
rent? Verùm in promptu est ratio, quâ
istos sceleratos ulciscar.

PHI-

PHILOTYR. Sape equidem animo
tui fidissimo, apertè & sine ullis ambagi-
bus te admonui, Rex Optime, ne tanti fa-
ceres Dionem. Constare enim omnibus,
non eum consulere, quæ sint in rem tu-
am. Immò si liceret, eum tibi mali aliquid
machinaturum. Nunc in acie novacula
versaris. Nunc Dion hoc solùm agit, ut li-
beros Aristomachæ novercæ tuæ, regno
quondam præficiat, te excluso & ejecto.
Nam quoniam fieri non posse animad-
vertit, ut ipse regno potiatur: at suæ soro-
ris filios, optat dominari Sicilia. Quàm
perfidè autem tecum agere constituerit:
ex his cognosces literis, quas ad senatum
populùmq; Carthaginensè scripsit. In
his enim petit, ut foedus Pœni tecum astu-
tè feriant: Hac enim occasione se operam
daturum, ut ipsi regnum Siculum vi oc-
cupent, teq; in exsiliùm expellant. Quid
quæso est sub amici nomine fallere, si hoc
non est? Quamobrem nisi maturè Dio-
nis machinationibus obstiteris: actum
est, periisti.

DIONYS. Ambos è vestigio accersam
in pa-

F 2

in pa-

in palatium, & quam causa impulsu ad-
versum me conspiraverint, sciscitabor.

PHILOT. Pessimè istuc ô Rex, in te
consules. Novi enim eorum malitiam &
calliditatem, Si enim purgandi sui tem-
pus locumq; illis dederis: blanditiis & as-
sentationibus te circumvenient, ani-
mumq; tuam doctâ oratione sibi rursus
conciliabunt. Itaq; indicta causa illos da-
mnes ac perdas. Ita enim ab illorum insi-
diis & tutus, & securus eris.

DIONYS. Scestos itaq; nulla inter-
posita mora extremo afficiam supplicio,
ut perversa & nefaria consilia in aucto-
rum capita recidant.

PHILOT. Hoc laudo; iterum sic me-
mento, ubi quis Majestatem lædere ausus
fuerit.

DIONYS. Fidei tuæ atq; indicii præ-
mium à me ferēs. Caterum ne inter nos
dicta foras elimines. Mox enim per duel-
les eo, quo digni sunt, saxo inacta-
tos infortunio.

1181

1181

Actus III. Scena 7.

PHILOTYRANNUS, PHILETUS, HY-
BRISTES, MISOPHILOSOPHUS,
DION.

AN non dixi, hoc ita futurum? Scilicet
animus mihi praesagiebat, hoc nego-
tium successu minimè cariturum. Ego e-
nim fallaciarum ejusmodi non vulgaris
sum artifex. Evax, commilitones mei!
benè rem gessi omnium nostrùm com-
muni bono. Rex enim de capite ple-
ctendis nostris aemulis jam cepit consili-
um.

PHILET. Hunc nuncium multò sanè
auro redimam. Ac videre gestio diem
illum, quo iustas adversarii pœnas dabunt
temeritatis suæ.

HYBRIS. Modò ne Rex sit in mora.
Nam dubitando & dies prolatando ma-
gnæ opportunitates corrumpuntur.

PHILOT. Adeò in eos exacerbavi Re-
gis animum, ut quàm ocyssimè illos per-
ditum iri, confidam.

HYBRIS. Sed heustu: digito com-
pescè labellum: ne fortè advenièns Dion
sermone nostros exaudiat.

F 3

MISOPH

MISOPHIL. Ego, ne quicquam finis-
tri de nobis suspicetur, mellitis atq; ami-
cis verbis illum compellabo. Salvus sis
Dion, cognate atq; amice jucundissime.
Qui sit, quòd te hodiè in publico nondum
viderim? An minus bellè valuisti? Aut
aliud malum tibi est enatum? Ne quæso
me cela, quicquid sit. Ego enim vel vitam
tuâ causâ profundere sum paratus.

DION. Gratiam habeo, quòd ita in
me sis animatus. Caterùm & rectè valeo,
nec quicquam adversi mihi hodiè obtri-
git. Grave autem quoddam negotium
continuis aliquot horis mihi tractandum
fuit: De quo jam ad ipsùm Regem refe-
ram.

MISOPHIL. Ito sanè, mi cognate;
Jam enim in tempore ad Regem venies,
quod rerum omnium est primum.

At ego te aliam, quàm sperabas, mer-
cedem auguror accepturum. Nos
intrò eamus.



Actus

Actus IV. Scenæ.

MELIBŒUS & ÆGON rustici,
HOSPES.

A Desto nobis, Hospes, & frontem ex-
porrigito. Vidéris enim solito mihi
tristior.

HOSPES. Mihi saepe non ita licet esse,
ut volo. At vobis convivis licitum est cum
hilaritate hunc diem transigere, ita ta-
men, ne turbas graviores domi meæ ex-
citetis.

MELIB. Bona verba quaeso, Pacati e-
nim & quieti erimus. Neque meæ est con-
suetudinis, rixas excitando aliis creare
molestiam.

HOSP. Tollat te, qui non novit. Nam
ego quidem ingenium tuum, ad lites se-
rendas proclive, dudum perspexi.

MELIB. Sanè si quis me despiciatui
ducat, aut deridendum aliis propinet:
eum animo æquo ferre, aut blandiori
vultu aspicere nequeo. Quin potius con-
tinuò in crines ejus involo, aut pugnos in-
osingero.

HOSP. Quid est, quòd tam crebro

F 4 in

in cantharum inspicias ? An non sapit tibi vinum ? Anne dilutum, anne austerum est ? Vise aliud lenius ? Nam delicatulo tibi calix mulsi, si expetis, apponetur.

MELIB. Quin tu omittis ludibria, atq; huc oculos reflectis, sitne ista potus mensura justa ? Vide enim quantum desit huic sextario, quo minus ad summum usq; vino sit repletus ?

HOSP. At te Jupiter & Bacchus perdant, qui meam in vino infundendo rationem injustam esse arguis ! Quod si facere perrexeris : Hercle continuo pugnis in mala tibi harebit : Aut adeo superbus fies, ut hinc non abeas, sed auferaris.

MELIB. Profecto vel caeco appareat, quam hic cantharus dimidia sui parte sit inanis.

HOSP. Ergone hostorio radenda mensura, atq; æquanda tibi videntur ? Nunquam enim (quæ temulentia tua est) vino satiari potes. Vicissim, ubi in foro venum aliquid exponis: tanti id æstimas, ut vix ulla pecunia avaritia tuæ explenda sufficiat. Ne dicam, quam fallacibus & injustis
men-

mensuris vos rustici adversus cives utamini ?

MELIB. At ego vellem, in teipsum descenderes, & cogitares, quàm inspidum, quàm aquosum vinum sæpè numero apponeres hospitibus ? De eo enim nuper questi sunt vicini mei, quòd exhausto vino tuo admodum insalubri, nescio quid morbi contraxerint.

HOSP. Mentiris nebulo: mentiris inquam, Furcifer: mihiq; insignitè facis injuriam.

MELIB. Parcìus ista viris tamen obijcienda memento. Neq; enim ego is sum, qui sibi impunè insultari patiatur. Sapiens enim in jurgio & pugna virum me præstiti. Nec quenquam fugio. Sed si tibi mecum conferere manus placet: Efficiam, posthac ne quenquam voce laceffas.

EGON. Quanam te Melibæe agitant intemperix? Adeone animum non habes in potestate, ut quoties adbibisti plus paulò, importunè convitieris, & à verbis progrediaris ad verbera, ad vulnera, ad cades? Oblitusne es, quàm sæpè ob eandem causam pecunia, quàm sæpè carcere

lis multatus ? Nec dum tamen cohibes
impotentem istam atq; effrenem con-
tendendi ac concertandi libidinem. Li-
citur tibi per me quidem est, ob indefi-
nentem rixandi cupiditatem, non solum
in fortunarum, sed etiam in vitæ pericu-
lum incidere.

MELIB. Ista quidem non exciderunt
animo meo, quæ tu benevolè suggeris, ve-
runtamen non sum tam lenti ac mitis in-
geni, ut tenebrionis hujus injurias possim
concoquere.

Quamobrem heus tu, si lubet, *ἀνυχο-
μαχίαν* tibi offero, in quâ uterq; vires no-
stras periclitabimur.

HOSPES. Quin age, si placitum est: in
me mora non erit ulla. Nam ejusmodi
certamen tecum certabo, licet fore sci-
am, ut inde collum mihi doleat. Ecce,
humi ego certaturus procumbo: tu neq;
mihi parcas, neq; ego tibi pepercero. Di-
spendium erit unius mantilis, modò cer-
vices sint salvæ. Age, alter alterum mantili
in collum injecto trahamus usq; dum
ambo defessi simus.

ÆGON.

ÆGON. Mordicus apprehende baculum transversum, ô Melibæ, ac dentes comprime quàm licet arctissimè. Secus enim si feceris: non victoria & gloria, sed dedecus ac pudor te manebit.

MELIB. Animus quidem alacris, & ad pugnandum promptus est: Sed corporis vires me destituunt.

ÆGON. Ah parce hospes, parce in meam gratiam. Nisi enim Melibæum feceris missum: de vita ipsius actum erit.

HOSP. Non ita quidem ille de me meritus est, ut dimitti debeat. Veruntamen tuis mitigatus precibus, à certamine destitit, modò ipse in posterum quiescere velit.

MELIB. Væ cervici meæ, væ cervici meæ ipsi mandibulæ, quàm tractio ista tantoperè afflixit!

HOSP. Atqui ego tantùm per nebulam ostendi tibi, quid sit irritare crabrones. Clariora deinceps documenta dabo, si quis me volet lacescere. Faxo enim graviori eum maceratum, atq; tu es, infortunio,

Sultis

Sultis agite, spectatores: Aspicite
miscellos rusticos, in pudorem à me datos,
vultuq; dejecto adstantes.

ÆGON. Ita quidem hac atate inter
homines comparatum esse scio, ut miseri
ferè etiam irrideri soleant: sed dabitur a-
liquando tempus, quo hanc injuriam &
contumeliam tibi reponamus.

HOSP. Eho, an tu etiam minaris ma-
lum? Quomodo si animatus es: vix ho-
diè effugies, quin necesse tibi quoq; sit,
eodem certaminis genere mecum con-
gredi.

ÆGON. Id quidem Dii prohibeant. Mibi
enim collum non est tam validum, ac tibi.
Vereor itaq;, ne caput meum ipsis hume-
ris avellas. Nam exemplum vicini Meli-
bai me terret. Age sis Melibæe, domum
repetamus, dum licet. Nos enim soli;
hospes familiã numerosã est stipatus. Ee
quamvis herum ego ad terram proster-
nerem: famuli tamen atq; ancillæ irruen-
tes, plagis me malè mulctarent usq; ad ne-
cem. Quocirca fatius esse duco, domum
quasi in portum aliquem nos recipere.

MELIB. Benè mones: sequar, quo-
cumq; jeris.

Actus IV. Scena 2.

EUNUCHUS, DION.

Equem tandem vitæ aulicæ non ca-
peret satietas ? cùm res jam ita sint
comparatæ, ut cui credendum, aut cui
non credendum sit, dijudicare vix possis.
Adeò plena sunt omnia delatorum, sycophan-
tarum, calumniatorum : qui in aulis
principem jam tenent locum, ac verborum
lenocinio potentes inescant, ut
sive vera, sive ficta crimina intendant, fi-
des illis habeatur. Meo quidem animo
plurimas & maximas hæc res molestias
creat. Ac si commodè & bonâ cum regis
gratiâ ex aula discedere mihi liceret : ne-
mo secur. do lumine hîc me offenderet.
Nam ad parandum abitum inprimis me
exhortatur Dionis, optimi ac sapientissi-
mi viri periculum : adversus quem linguarum
malevolorum & obrectatorum tantâ Re-
gem irâ incenderunt, ut eum delere cer-
tò sibi proposuerit. Quod si Dioni Rex
tam infestus est, qui non solùm affinitate
ipsi conjunctus, sed etiam per tot annos
gravissimis regni negotiis summâ cura
lau.

laude defunctus, deq; ipso Rege & totà in-
sula præclare fuit meritus: quid nobis in-
feriorum classium aulicis deniq; sit ex-
spectandum, divinare non est difficile,
Itaq; ut in tempore aulæ valedicam, o-
mnes occasiones venabor, Sed ipsum Di-
onem, quem domi suæ convenire ani-
mus erat, commodè præ foribus palatii
video adstare.

DION. Te ipsum mihi obviam dari o-
ptabam, ut ex te certior fierem, annè jam
commodum Regis conveniendi tempus
esset? Negotia enim quædam inciderunt,
de quibus non possum quin illius exqui-
ram sententiam.

EUNUCH. Non illum jam aptè ad bis,
mi Dion. Totus enim in fermento est, a-
deoq; inflammatus calumniatorum vo-
cibus, ut mortem se tibi quoquo modo al-
laturum, jurejurando confirmârit. Si sa-
pis ergò, vel potius quoniam sapis: fugâ
quàm celerrimè tibi consule. Nam si ad
vesperam usq;, moram hic traxeris: a-
ctum erit de vita tua.

DION.

DION. Quis iste insperatus nuncius,
mi vir? Adeone Regem meum immuta-
tum, adeone exulcerato in me esse ani-
mo, ut vitam in fonti mihi conetur eripe-
re? Dii melius dunt.

EUNUCH, Iterum iterumq; moneo,
Dion: si vite periculum cupis effugere,
mature hinc migrato opus est. Nam capi-
te suppliciu lues, ubi crastin^o attollet diem
Phoebeus, nisi hac excedis urbe. Sitit enim
Rex sanguinem tuu. Quare age, propera,
propera, inquam, neq; committe, ut Sy-
racusis deprehendaris a quoquam isto-
rum, qui tibi manus injicere fuerunt ius-
si. Maturato fugam: nam praeter fugam
nihil tibi praesidium afferet.

DION. Quandoquidem ita rem habe-
re, tanta contentione affirmas: age cedo,
& Deum innocentiae meae testem voco,
qui talionis lege quondam iacturus est,
cum adversariis meis, & caput salutemq;
meam interim defensusurus.

Doleo

Doleo autem, hos avo nostro aularum
mores esse, ut si quid benè facias, levior
plumâ sit gratia: Si quid peccatum sit,
plumbeas iras gerant.

Tibi verò, Amice spectatissime, qui mi-
hi indicium fecisti, & quantum in te fuit,
ab imminente periculo me liberasti: Et
gratias ago, & triste vale dico. Stabit apud
memorem Dionem hujus facti gratia.

EUNUCH. Ito bonis avibus, & salutis
tuæ curam geritò. Ego à te exemplum
sumam, mihi quid ex usu fiet.

Actus III. Scena 3.

DION, PUER, PLATO, NUNCIUS.

Cùm meam vitam insidiis peti certum
sit: metuo, ne in eodem mecum pe-
riculo doctissimus Plato versetur. Itaq;
& ipsius salus omni honestâ ratione expedi-
enda esse videtur. Puer, ubi es?

PUER. Adsum, Here, quid me vis?

DION. Curriculo ad Platonem curre,
eumq; omnes moras tollentem, ocyùs ad
me venire jube.

PUER. Dicto citiùs faxo hîc adsit. Pro-
fectò

sectò nisi me animus fallit , isti duo sua
contulerunt consilia , ut malo , quod im-
pendere videtur , auxilii aliquid afferant ;
ne plurimæ res repentè circumvallent ,
unde emergi non possit. Quocirca ego ,
quod sum iussus , agam , & Platonem ac-
cessam.

DION. Nunc demum re ipsâ intelligo ,
quæ sint præmia consuetudinis aulicæ , re-
giæq; amicitia? Invidia nimirum , obre-
tatio , contumeliæ , insidiæ , bonorum op-
pressiones. Nam præcipites aularum sunt
injuriæ , sed lenta beneficia. Verba qui-
dem plurimorum dulciora melle viden-
tur : Sed nihil nisi amarissima odia intus
fovent Eorumq; sermones oleo dices
molliores , cum tamen de lethali vulnere
infligendo cogitent. Hos ego homines
odi , & odero : atq; utinam ulcisci possem!
sed ulciscuntur illos mores sui. Nondum
enim omnium dierum Sol occidit.

PLATO. Quid tute tecum , Dio ? aut
quid tam repentè me vis ?

DION. Hoccine seculum , Plato ? ô
scelera ! ô sacrilegos homines ! Quos neq;
fides mea , neq; vinculum arctæ necessi-
tudinis,

G

tudinis, neq; aetas ingravescens repressit,
quod minus seu vi, sive dolo perniciem mi-
hi machinarentur. Perimus, ô Plato: ac-
tum est, nisi quamprimum in fugam nos
conjiciamus.

PLATO. Veram ac liberam orationem
ab aulis exsulare, non nunc primum mi-
hi persuasi. Itaq; metu comitante, ope-
ram Magnatibus dandam semper censeo.
Facili enim labore innocentibus crean-
tur pericula, si nonnulli ex consiliariis im-
prudente rege conspirent in necem eo-
rum, quos odio habent. Nam fictum cri-
men ad Regem deferunt: qui cum non
possit ipse omnia animadvertere atq; in-
spicere: fidem habet delatoribus, ac non
rarò de vita & fortunis optimi cuiusq; eos
mittit in suffragia, quos non tantum ar-
cere à iudicandi officio, sed etiam suppli-
cio afficere deberet. Ita viri boni & re-
ctè sentientes de gradu officii dejiciun-
tur, & calumniis oppressi pereunt. Atque
hoc illud est, quod ego cum primum ad-
venirem, metuebam, ut videlicet moni-
tis meis apud Regem, ejusq; familiares
quicquam proficerem.

DIOX.

DION. De his alius fortasse dabitur locus differendi. Nunc plus quam maturum est festinanda fuga tempus. Nec ego tam de me, quam de te, Senex doctissime, sum sollicitus.

PLATO. Ergo sciens ac prudens regnum suum est everturus Dionysius? ut ipsa si cupiat Salus, hanc insulam servare non possit?

DION. Pergamus properè. Nam parata jam, & omnibus rebus ad abeundum instructa est navis: ac venti nobis adspirant secundi.

NUNCIUS. Proh Deum atque hominum fidem, quid hoc rei est? Dum ex itinere jam redeo: Platonem Dionemque video incomitatos quam incitatissimo cursu progredi, & viam ad naves fecare. Cumque festinationis causam ex hero Dione vellem percontari: ille nihil, nec me quaerentem vana moratur. Sed graviter gemit imo de pectore ducens: Heu fuge, docte Plato, teque his (ait) eripe turbis. Profecto, videntur mihi ambo in Regis indignationem aliquam incurrisse, atque ut periculum evitarent, occultè celeriterque abiisse. Quod si vera est, parum ille Sapiens profecit, qui Regem

G 2

nostrum

nostrum jam aduicum corrigere, & meliora docere conabatur. Sed quid ego aliena curiosè disputo? Meum potiùs negotium agendum, & Regi ea nuncianda sunt, quorum causà hoc iter susceperam.

Actus IV. Scena 4.

PHILOTYRANNUS, DIONYSIUS, DROMO MISOPHILOSOPHUS.

Discrucior animi, non eò rem devenisse, ut statim in vincula conjiceretur Dion, Qui quidem jam fugà elapsus est: ac nobis metuendum videtur, ne ille aliquando occasionem nactus, par pari nobis referat, nosq; vicissim in exsilium ire cogat. Sed operæ precium est, illicò Regi significare hanc fugam: ne eadem ratione Damon quoq; elabatur. Non enim minùs Dione versipellis est.

Dion iste, Rex Serenissime, quem capitis supplicio jam damnaveris, evasit atq; erupit, quippe sibi malè conscius. Nunc Damonem ejus exemplo in fugam se, quam primùm potest, conjecturum, atq;

ide

ita supplicium evitaturum, est verisimile.
Quamobrem suaferim, Damonem, ne
conatum nostrum ac spem & ipse frustra-
tur, in carcerem mox compingendum
esse.

DIONYS. Malè profectò me habet,
quòd Dion abjerit atq; impunè excessit-
rit, postquam olfecit scelera sua reiectum
iri: immò jam reiecta sensit. Sed ne Da-
mon similiter elebatur, nosq; ludibrio
pòst habeat: illicò mitte apparitorem qui
vinculis eum constringat, atq; in carce-
rem teterrimum conjiciat.

PHILOTYR. Quamprimùm Serenif-
sime Rex, Majestatis tuæ edicto parebi-
tur.

I puer, & licetorem, ubi ubi sit, quare:
ac Regis nomine manda, ut comprehen-
dat Damonem. Nosti, nisi fallor, hoc
nomine peregrinum illum Sophistam,
qui nuper inauspicatò, in has penetravit
terras. Jube, inquam, ut hominem pro-
fundissimo includat carceri, ex quo nec
Solem, nec Lunam intueri queat.

DR OMO. Here, rectè curabitur. Et scio,
exoptatissimum licetori hunc nuncium

fore. Is enim labore tam facili potius defungi, quam fodere aut arare gestit.

MISOPHIL. Utinam meo arbitrato rem gerere, & omnes qui sibi eruditi ac sapientes videntur, calumniis de gradu dejicere, atq; ita ad corvos liceat amandare cum pamone! Nihil enim rebus humanis consultius, quam nasutos istos, qui inanibus suis disputationibus & intempestivis consiliis & principes, & pacem turbant publicam, quacunq; ratione tollere.

Actus IV. Scena 5.

LICTOR, SERVUS LICTORIS, DAMON,
EUNUCHUS, THRASO
SATELLES.

Proh summe Jupiter, quam arida mihi lingua est. quam siccae fauces! eo quod longo jam intervallo nihil ex usitato artificio lucri percipere, neq; vinum gustare mihi licuit. Et aqua ingratus potus, vires meas enervat, & minus ventriculo salubris est. Molestum verò illud otium, loculos meos planè exenteravit. Non enim offertur jam occasio vel tantillam promerendi mercedem. Quod nisi canibus

nibus jugulandis, aut pecorum cadaveribus excoiandis nummorum aliquid corralissem: fame, fortassis etiam laqueo mihi fuisset pereundum. tanta jam est licentia: tanta sceleratissimorum hominum impunitas, quos equidem in malam rem abire oportebat.

Et quid tu tristis adstas, Servule: Idemne doles, quod ego? Sed quietus sis, ac fortunam praesentem aequo animo feras, Grata superveniet, quam non speraveris, hora. Nam spes certa est fore, ut petita praeda jamjam in castra nostros incidat. I, affer, quibus opus est, arma. Nam Philoroyranni, regii consiliarii minister, Heri sui, vel potius Regis nostri jussu mihi mandavit, ut hospitem illum, qui nuper Senatoribus regni aggregatus est, constringerem atque in custodiam darem. Quid meritus sit, equidem nescio. Fortasse invidia ac odio impulsus collegae ejus, perdere ipsum student. Quicquid sit, meum non est percontari. Ego quod sum jussus, exsequar, & hominem vinculis constrictum, in dyersorium, hercle minimè jucundum, abducam.

G 4

SER-

SERVUS. Plagas, quæ ad capiendas ejusmodi feras requiruntur, assidue circumfero: modo prosperè succedat venatio. Sed eccum, de quo loquebaris modo. Adoriamur hominem.

Heustu, Domine, captivum te abducere jussi sumus, itaq; mandatis ultro pare & quæ ducemus, sequere. Sin minus: vis tibi afferetur.

DAMON. Quin manum abstines, mastigia. Egone peccavi quicquam, quam obrem ita à vobis acciperet. Homines nequam & flagitiosos tibi comprehendere fas esto: non ingenuos ac honestatis amantes.

LICTOR. Ex nostro iam nutu oportet vivas. Nam vi atque invitum ingratis, nisi voluntate ibis, rapiam te domum. Quid peccaris, tute videris. Gratiâ Regis te excidisse, constat. Is enim te in carcerem compingi jussit. Sed en occurrentem nobis regium cubicularium, ex quo de causâ horum vinculorû sciscitari poteris.

DAMON. Ah mi Vir, tibine quicquam constat de fonte & causâ præsentis ærumnæ meæ? Certè, nullius ego culpæ aut
sceleris

sceleris mihi conscius sum: ac liquidò jurare possum, nihil à me tentatum, susceptumve, quo Regis vita, aut regni salus periclitaretur: aut cujusquam boni existimatio læderetur.

EUNUCHUS. Quòd hæc contumeliâ, injuriaq; afficeris Optime Damon: virulentis obtrektorum vocibus acceptum est referendum. Necti solus eam experiri sortem. Ipse Dion iisdem artibus petitus, & calumniis apud Regem deformatus fuit, ut agrè fugâ sibi consuleret. Tot enim mendaciis occupatus est Regis animus & aures, ut vix purgandi tui locum sis habiturus. Ego quidem, ut quàm longissimè à nobis hoc tempore abesses, optarem.

LICTOR. Minimè gentium. Nam si Rex alios vinculis mancipat, alios extremo supplicio afficit: hoc in rem meam est. Tu quidem quid me fiat, esuriâ mne, an satur sim, parùm curare vidèris.

DAMON. Ne quæso me desituias, Vir Spectatissime: sed causam meam apud Regem agas, deprecando ac suppliciter orando, ne odio aut malevolentia quæ-

G s dam

dam in me sit asperior, ne in innocentem
faviat. Deos enim testor, me in dandis cō-
siliis eam, quam debui, fidem præstitisse,
& publica spectasse comoda, oblitum pri-
vatorum compendiorum. Ne igitur indi-
ctâ causâ Rex me condemnet: ne in ca-
pitis discrimen adducat. Misereatur eum
uxoris meæ, & parvulorum liberorum,
qui in remotis admodum locis degunt in-
opes, & horum ignari casuum. Impedita
est etiam & aere alieno gravata res famili-
aris mea. Pessimè itaq; ageretur & mecū,
& cū necessariis meis, si jam repentè capi-
tis discrimen aliquod subirem. Quam ob-
rem te, Virorū Optime, majorem in mo-
dum rogo, ne causam meam ad Regem
deferre, & quantum animis atq; arte va-
les, me defendendum suscipere graveris.
Quod si in præsens ope tua liberatus fue-
ro: toto deinceps vitæ tempore me tibi
habebis obstrictissimum.

EUNUCH. Doleo hoc dolore tuo, mi
Damon. Atq; utinam tam proclive mihi
esset te ex periculo liberare, quàm cupidus
sum juvâdi tui! Tu Licitor interea bonum
virum, quandoquidem Rex ita jussit, do-
mi

mi tuæ custodias licebit. Ego curriculo in palatium curram, omnesq; machinas Regi admovebo, ut animum ejus expugnare, & Damonem reconciliare queam.

LICTOR. Ades dum Damon, & hanc sedem tibi valde commodam occupa. Hic enim secessum habes & otia. Hic remotus à strepitu locus est, ut sine impedimento studiis artium liberalium, quibus assuetus es, vacare possis. Acute sanè vidit Rex, te amare loca tranquilla, & à clamore ac tumultu libera. Itaq; rationibus tuis optimè consuluit, quando tam idoneam habitationem in carcere tibi assignavit. Jam commodè & per otium cogitare potes de apris & lectissimis verbis quibus ad Regem, aut proceres alios sis usus. Itaq; huic scâno infide, & placido animo sortem hanc perfer. Neq; enim indignari debes Regi, qui comodorum tuorum fuit tam studiosus.

DAMON. Tu quidem antiquum, Scurra, obtines, & cantilenam pro rostri sorte fingis. Ego verò, tametsi in hoc carceris squalore mihi sit contabescendum, honestam tamen mortem oppetam. At ii, qui me in has angustias cõpulerunt, juxta tecum vitis omnibus sunt inquinatissimi.

LICTOR.

LICTOR. Etiam convitiaris? Atquæ
nisi fallor, mitior tum eris, cùm te se mel
atque iterum tormentis subjecero.

DAMON. Dii melius duint, quàm ut me
eruciando animum tuum expleas.

LICTOR. Nil moror argutas tuas nugas,
Sed si placet, cum muribus interim & gli-
ribus in hoc ergastulo decerta. Ego per
otium laqueos parabo, si fortè adhuc ho-
diè longam ex te literam facere oportet.

THRASO. Si cui persuaderi non possit,
variâ ac mutabilem esse fortunam: is
Damonem videat. Nõnne enim nuper
in summâ erat dignitate, & gratiâ apud
Regem? Nõnne idem jam etiam ad car-
ceris squalorem ac tenebras est detrusus?
Quæ ejus tam gravis culpa intervenit,
non habeo dicere. Nisi fortè statuendum
est, ut vetus verbum habet: mutabiles esse
principum voluntates: & gratiam aulicam
diu collectam, uno momento effundi posse.
O Prudentem simul ac felicem hominem,
qui ista probè secum meditatus fuerit!

LICTOR. Quid jam de artificio nostro

pro sentis, Servule? num vile, parumq;
lucrosum tibi etiamnum videtur? Vides,
me opimam modò nactum esse prædam.
Brevi tempus veniet, ut tu etiam ad ma-
jores divitias ac dignitates eveharis. Tan-
tùm in eo sis assidu⁹, ut exactè discas hanc
artem, quam ego exerceo. Sic enim dubi-
tandum non est, quin facilè ac honestè te
alere possis.

SERVUS. Fidem testor, mi præceptor,
me nihil prætermittere, ut fiam perfectus
artifex. Et cui lubet, is faciat periculum.
Experietur enim, me non barbam solam
tondere, sed etiam caput ipsum, quasi
brassicæ caulem egregiè demetere posse.
Ac qui meâ operâ usus fuerit: is neq; ton-
foris novaculâ ad radendam barbam, ne-
que lixivio aut sinegmate ad purgandum
caput amplius indigebit.

THRASO. Ucte Dii cum tonsura & li-
xivio tuo perdant! Nam lixivium tuum
oculis ac faciei tam molestû, noxiumq;
est, ut non solùm visu, sed etiam risu ali-
quem prohibeat: ac in æternam noctem
lumina per te claudantur.

Actus

Actus IIII. Scena 8.

DIONYSIUS, EUNUCHUS, THRASO,
DAMON.

PRodeo rursus in publicum, si forte plura de factis mihi insidiis resciscam. Nam nemo nisi expertus novit, quam multis sollicitudinibus, & periculis, & miseriis diadema sit refertum. Et si enim ob copias, opes, majestatem dominatus, retum abundantiam, & palatiorum magnificentiam, Reges beati vulgo dicantur: tamen semper aliquis terror eis impendet, perinde ac si è lacunari gladius, seta equina appensus, in eorum cervices demitteretur. Sed cubicularium meum ad me properè contendentem video. Quid ita gradus festinas, cubicularie? quid negotii est?

EUNUCHUS. Clementissime Rex, petit à me quidam consiliariorum tuorum, hodie jussu tuo in vincula datus, ut pro se apud Majestatem tuam deprecarer. Quod cur recusarem, causam nullam habui. Itaq; supplico tibi, o Rex, ut hominis perpendas innocentiam, neq; ita rigidè cum eo agas: sed priùs ipsi aperias, quodnam
in

in se tantum facinus admiserit, ut gratia
tua exciderit, & carceri inclusus fuerit.
Ipse quidem Deos omnes adjurat, nun-
quam se animum induxisse suum tibi
tendere insidias, aut ægrè quicquam fa-
cere. Sed contrà sine dolo ac fraude
consuluisse, quod esset ex re tuâ Atq; hîc
tuam ipsius memoriam implorat: & hoc
unicè orat, ut delatores, se præsentè, accu-
sationem repetant. Se enim ita causam
suam acturum, ut ipse in sua defensione
acquiescas.

DIONYS. Egône homini illi nefario
rationem cogor reddere, cur eum in
carcerem abripi jusserim.

EUNUCH. Bona verba quæso, Rex
Clementissime. Si quis vilissimæ con-
ditionis homo alicujus apud te facinoris
insimuletur: æquitas suadet, eum prius
quàm condemneretur, audiendum & in-
terrogandum esse, an crimen ejusmodi
fateatur, necne? Eadem ratione Damon
orat, ut ad dicendam causam admittatur:
quod mihi non videtur esse iniquum.

DION. Moneo atq; edico, ut importunas
ejusmodi postulatiões deinceps omittas,
nisi

nisi gravissimum subire velis indignationem nostram. Damoni enim ne caput à cervice revellatur, nemo, quamvis commodè dicat, mihi per suaserit.

EUNUCH. Ah parce Domine, parce tot ipsius infantulis, domi cum matre degentibus. Quàm miserabilem orphanorum gregem moriens relinqueret, si irâ præcipiti è medio tolleretur? Moveat ergo te respectus tenellæ ætatis, & tam numerosæ sobolis.

DIONYS. Nihil agis. Nam etiamsi uxor ejus, omnesq; liberi mihi pro salute ejus supplices fierent: tamen capitis pænam luere cogere tur.

EUNUCH. Oro atq; obsecro, Rex, da locum precibus meis, & iræ tuæ non nihil moderare. Saltem hoc indulge, ut ante obitum commendandorū suorum causâ domum proficiatur. Non enim dubito, quin, quâ pòllet fide atq; integritate, ad finitam diem sit reversurus.

DIONYS. Expugnâsti animum meum, Et si ergo stabat sententia, ut è vestigio afficeretur ultimo supplicio: tamen precibus tuis motus ego potestatem ipsi facio
ad

ad suos abeundi: Illa tamen conditione,
ut virum quendam gravem & honora-
tum mihi adducat, qui pro ipso sponde-
at fore, ut viginti diebus Damon Syra-
culas redeat. Quod si ille non redierit:
ut sponsor caput suum gladio subjiciat,
volo. Sanè antehac sapius de legendis
ac dignoscendis veris amicis verba fecit
Damon. Si ergo invenit ejusmodi ami-
cum certum ac fidelem, bene est. Jam
in rebus incertis ejus cernendi facultas
erit. Aut tu ipse fortassis fidem tuam
pro ipso cupis interponere?

EUNU. Ego me negotiale quid hoc
tempore facturum. In ceteris præstabo,
quantum possum. Nam miseret me
fortuna ejus quam præter meritum ad-
versam experitur.

DION. Quicquid hujus jam facio, in
tuam gratiam facio. Tibi enim ex ani-
mo faveo, ac precibus tuis locum relin-
quo. Id quod captivo significes licebit.

EUNU. Ingentes tuæ Majestati gra-
tias ago, quòd petitionis meæ rationem
tam clementer habuerit. Ac fidem, ob-
servan-

H

servan-

servantiam & animi subjectionem vicissim in omne tempus Regi polliceor.

THRASO. Homines qui gestant, quiq; auscultant crimina: Si meo arbitratu liceat, omnes pendeant, Gestores linguis, auditores auribus.

EUNU. Ibo jam, & Damoni captivo renunciabo, quid responderit Rex. Non enim dubito, quin hoc scire aveat.

Supplex pro te Regi factus sum, Optime Damon. Atq; ille initio me petentem repudiabat, mortemq; minabatur, si instarem deprecando. Sed nihilominus instabam atq; obsecrabam, ut tibi pro te dicendi potestas daretur. Et hic surdo fabula narrabatur. Adeo Rex iram adversus te fuit inflammatus. Tandem cum rogandi finem non facerem, dixit: se meis impulsu precibus hoc tibi concedere, ut ad res tuas ordinandas domum proficiscaris: sed peractis viginti diebus dentuo te hic sistas. Interim des vadem, cui sit moriendum, si tu ad dictam diem non redieris, teq; totum Regi tradideris, ut tecum agat pro libitu. Hæc summa est responsi
Regii,

regii: quod mitius esse, & magis pro te
facere. Iamè optarem.

DAMON. Rem tandem hunc exitum
habituram, pravi. Noveram enim ty-
rannorum mores: Sed, quia in manus eo-
rum semel incidi: quod fors fert, æquo-
feram animo. Vacare tamen culpa, ma-
gnam mihi est solatium, & ægritudinem
minuit. Porro tibi pro ista fide, atq; officio
deprecatione, qua non carebat peri-
culo, gratias ago maximas. Quod reli-
quum est, omni studio vadem aliquem
reperire conabor, qui meo loco captivus
à Rege teneatur, dum ego rediero.

EUNU. Ego quidem, quantumvis to-
tum terrarum orbem pererrarem: ne-
minem tamen reperiri posse existima-
rem qui pro me ultro se in tantas angustias
coniceret.

DAM. At ego unum verè fidelem ami-
cum habeo, de quo mihi non vano augu-
rio polliceor, fidem illum suam pro me
libenter interpositurum. Modò scirem,
ubi jam conveniri posset?

EUNU. Nomen dic, obsecro: & opera
H 2 à me

à me dabitur, ut illum, ubi ubi sit, inven-
tum tibi, mecumq; adductum curem.

DAMON. Pythias ille est, amicorum
meorum Alpha.

EUNU. Novi hominem tanquam te.
Et hac illac circumcurram, ut illum reperi-
am, ac de rerum tuarum statu certio-
rem faciam. Tu interim bono sis animo.

DAM. Bene ambula.

Actus IV. Scena 7.

AMICITIA, PYTHIAS, DIONYSIUS,
EUNUCHUS.

HEU, quanta est rerum humanarum
inconstantia! quam varia, commuta-
bilisq; fortuna! Ecce enim Damon, qui
nuper apud Regem erat gratiosissimas, &
ad munus intimi consiliarii eVectus: jam
Regi maximè invisus, in carceris sordibus
delitescit. Ac miserè in illo squallore pe-
reundum esset optimo viro: nisi meo
praesidio defenderetur. Quia verò me
nunquam non ex animo coluit: Pythiam
amicum ejus ipsa accedam & hortabor,
ut pro infelici amico Vas fieri, fidemq; &
constantiam in amicitia suam hac ratio-

no

ne palam testari ne dubitet. Atq; ipsum
Pythiam in tempore egressum video.

Pythias. Nescio quid mihi animus
presagit mali. Ita totum diem solito tri-
stior fui. Modò ne quid adversi Damoni
meo accidisset! Eum enim heri ac hodiè
videre non contigit: quod ipsum admi-
ror, & propterea nunc exivi, ut aut ipsum
alicubi reperirem: aut quid ageret, cer-
tior fierem.

AMICITIA. Quod hic scire expetit,
ego facillè indicasto.

Pyth. Ah, quam video? Tùne hìc
adsta, Amicitia? sed quid ita es tristis?

AMIC. Durior me casus exercet ac
solicitat, quem tibi paucis exponam, Py-
thia. Ignoras fortasse, Damonem ami-
cum tibi conjunctissimum, in vincula Re-
gis jussu datum, parùm à morte abesse.
Quod periculum æmulorù quorundam
odium ac lingua virulenta ipsi creavit.

Pyth. Heu quàm tristi animùm me-
um nuncio vulneras! Quid ergo hìc agè-
dum censes?

AMIC. Permisit ipsi Rex, ut commen-
dandorum suorum causà domum profi-

ciferetur : si quidem Vadem invenire
posset, qui pro ipso & carcerem ingrede-
retur, & supplicio afficeretur, nisi ille ad
dictam diem reverteretur. Nunc itaq; à te
Pythia omnibus precibus Damon etiam
atq; etiam contendit, ne in tantis miseriis
se deserat, sed sistendi sui vas fias. Id quod
omnino te facturum, sibi pollicetur. **Quin**
& ego te moneo atq; adhortor, ne hanc
provinciam, quam vis duram suscipere re-
cuses. Id enim honori tibi ac laudi et-
jam apud posteros fuerit: quòd pedem in
adversis amici rebus non retuleris: sed
vel in extremo periculo constanter illum
dilexeris. Quemadmodum omnium
seculorum memorià viget, ac predicatur
illa fides Pyladae, quam Orestes suo prae-
stitit: cui non solum itinerum ac periculo-
rum omnium socius fuit: sed etiam in
Taurica regione victima fieri non recu-
savit. modò Orestes in Graciam reverti
posset incolumis. Hujus itaq; Pyladae fidè
egregiam imiteris, Pythia: & ut prospe-
rum vitæ Amici cursum es comitatus, ita
nec adversos ejusdem casus deserat. Sic e-
nim futurum est, ut inclytum ac perenne
sit tuum nomen. P Y T H.

Pyth. Tam multis verbis & tam exquisita oratione haud opus erat, Amicitia. Nam paratus & sum, & fui, & ero, pro amici salute non opes solum ac possessiones omnes, sed etiam vitam salutemq; meam in discrimen adducere. Oeyus ergo ad Regem ibo, meq; vadem pro reditu amici dabo: ut is interim periculo mortis solutus, negotia domi necessaria expediat, & de suprema sua voluntate testetur.

Amic. Digna est commemoratio fides tua, quam in rebus desperatis amico declaras. Eamq; mentem tuam eidem quam primum indicabo.

Non frustra omnes cogitationes ac conatus meos suscipi, re ipsa experior. Etsi enim rarus sit fidelium & constantium amicorum numerus: tamen in tanta amicitiam praeseferentium copia, unus olim & alter reperitur, qui quod agit, ex animo agit. Quo nomine hunc Pythiam jure laudo, totumq; negotium lato sine terminari opto.

Pythias. En vadem me tibi sisto, Rex Potentissime: atq; id solum oro, ut Damonem amicum meum, qui haecenus

arctissima detinetur custodia, impunè ad suos abire, & res domesticas ordinare permittas. Ego enim & vincula. & mortem pro ipso me perperurum spondeo, nisi ad constitutum à te tempus in hanc urbem se receperit.

DIONYS. Ergone tam fatuus ac demens es, Pythia, ut periculo te implices, cui securo esse liceat? Ergone promissis illum credis staturum in re tam ancipiti, ubi de fortunis & capite ipsius agitur?

PYTH. Nihil me horum perturbat, aut sollicitum reddit. Nullus enim dubito, quin Damon, cujus fidem sæpe numero antea perspexi, ad finitam diem rediturus: immò nec me deserturus sit, si in miseras & calamitates similes incidam. Quam obrem haud quicquam me absterret illorum, quæ vos objicitis.

DIONYS. Cautiorem te vellem esse, Pythia, nec periculum capitis adire, ubi nulla urgeret necessitas.

PYTH. Atqui necessitatis satis hic est, ubi tantis ærumnis amicus premitur: quem si laborantem desererem, perfidiae reus profectò essem,

DION.

DION. Sit sanè amicus in pretio. Ego
vitam salutemq; amicitia ac fidei longè
preferendam censeo.

PYTH. Ego autem nunquam me na-
tum esse mavelim, quàm committere, ut
fidem amico debitam violem, atq; in ex-
tremo discrimine illum destituam. Itaq;
quod antè dixi, jam repeto : paratum me
esse ad perpetiendum omnia quæ Dama-
nis amici nomine, tuæ Majestas sufferre
me ac perpeti jusserit.

DION. Quandoquidem ipse tibi ma-
lum sponte attrahis : assentior postulatis
tuis. Sed vide Pythia, ne cum miser sis,
insuper etiam ludibrio habearis. Tu cu-
bicularie acturum quempiam ad lictorem
mittas : ac Damonem quidem vinculis
solvi, ejus autem loco Pythiam compedi-
bus arctari jubeas.

EUNUCH. Fiet sedulo, Rex, quod sus-
sisti. I puer, & lictori ut illico fores carcer-
is aperiat, manda. Quid stas? quid cessas?

Actus IV. Scena 8.

PYTHIAS, DAMON, LICTOR.

ET quamvis omnia tormentorum ge-
nera mihi subeunda essent : nequa-
quam

H s

quam

quam tamen adduci possem, ut in tam
presenti discrimine Damonem meum
defererem.

Magno cum dolore, amicissime Da-
mon, te his immersum cognovi mise-
riis: quarum auctores non sunt alii,
quam fucati illi amici, blanda coram lo-
quentes, à tergo diris calumniis defor-
mantes. Simul etiam intellexi, Regem
quorundam precibus victum, tibi in pa-
triam abeundi potestatem eatenus con-
cessisse, ut aliquis pro te reum ac vadem
se supponat, dum tu ad constitutum di-
em revertaris. Illum ergo vadem me
promitto fore, qui tua causa nec carceris
inquallones, nec mortis supplicia perferre
exhorresco: ut omnes intelligant, amici-
tiam nostram non in deliciarum & luxu-
riæ consortio, sed in ipsarum miseriarum
experimento enituisse.

DAMON. ô Amice certissime, Non mihi
novum aut insolens hoc fidei tuæ speci-
men accidit. Etenim multos jam annos ita
viximus, ut nulla nos fortunæ injuria te-
jungeret. Hoc enim verorum amicorum
est proprium, ut nulla incurrat tanta cala-
mitas,

mitas, quæ fidelem illorum benevolentiam labefactare, aut imminuere possit. Nam quantò durioribus quis exercetur casibus: tantò magis ignis amoris astat atq; erumpit. Quibus autem verbis tibi gratias agam, mi Pythia, non reperio. En dextra fidesq;, quam pignoris loco apud te depono, ac fore spondeo, (ita summus meamet Jupiter) ut justo ac definito tempore ad vos revertar, meamq; fidem liberem.

ΠΥΘΗ. Nullus dubito. Itaq; eas sanè, ac redeas feliciter. Multa interim accidere possunt: Et innocentia tua in claram lucem produci. Constat enim, te præter meritum in hanc calamitatem incidisse. Fortassis illum diem adhuc videbimus, quo vis atq; injuria æmulo- rum tuorum ipsos auctores circumretiat: & malum consilium (ut vetus verbum habet) sit consultori pessimum.

ΔΑΜΟΝ. De hoc quidem Dii vide-
runt:

runt: quibus fretum nunquam quenquam
vidi decipi. Vale.

Pyth. Et tu vale.

LICTOR. Ille hinc abiit. Tu ve-
rò horrendi carceris antrum subibis.
Ac profectò te adeò stolidum esse mi-
ror, qui non cogites, nusquam hoc secu-
lo tutam esse fidem. Num enim promissis
suis Damonem satisfacturum credis? Ego
certò tùm illum reversurum autumo,
cùm locusta bovem pariet. Interim satis
molestas & insomnes duces noctes. Ac ni-
hilominùs tandem illius absentia exiti-
um tibi afferet.

Pythi. Si non ad dictam diem redi-
erit Damon, licebit tibi pro libidine tua
mecum agere. Ego verò causam non ha-
beo diffidendi ei cujus sinceram fidem in
p urimis, arduisq; negotiis antea explo-
ravi.

LICTOR. Sed mihi in aurem nescio
quis illud insurrat: Nervos atq; artus ef-
se sapientiæ, non temerè credere. Nam
qui facillè credit, facillè etiam decipi-
tur. Id quod ne tibi etiam usu
veniat, metuo.

Actus.

Actus V. Scenar.

UXOR DAMONIS.

Quid causæ esse suspicer, quòd tam diu domo abest maritus meus desideratissimus? neq; unquam ex quo abest, vel unum apicem ad me scripsit? Equidem scribendi officium non magnoperè requirerem, modò illum benè valere, & benè rem gerere, mihi constaret. Nuper tabellarius quidam mihi nunciavit, illum in aula Syracusana vivere, & Regis Dionysii consiliarium esse. Quò nuncio sanè exhilarata, sed interim verita simul fui, ut maritus artem illam retinendi gratiam Principum satis calleat. Quod si diutius regali gratia fui liceret marito meo: nã ego me fortunatam judicarem, & splendidiore amictu ornata incederem: sicut aliæ honoratiores matronæ, pretiosis utuntur vestibus pelliceis, torquibus & armillis aureis, & reliquo mundo muliebri. Sed vitream ajunt esse fortunam, & cum maxime splendeat, frangi. Sic & ego paveo, ne regum favor, & aulæ conditio (quemadmodum serenum cælum) facile mutetur.

Verùm

Verum, quemnam ego procul adven-
tantem conpicor? Profecto, nisi me ocu-
li fallunt, maritus ipse est meus. Vos fa-
muli atque ancillae, intus recte omnia cu-
rate: & post me sequimini, ut herum ve-
strum, charissimum maritum meum, re-
ducem laeti excipiamus.

Actus V. Scena 2.

DAMON, UXOR DAMONIS, SYRUS
SERVUS, PHILOXENUS & MENEDEMUS,
UXORIS FRATRES: ALEXAN-
DER ET PHILIPPUS
AFFINES.

Iter quidem ad Lares paternos feliciter
confectum est. Sed cum reditum cogi-
to, animi angor. Neq; tamen illum sus-
pendere aut intermittere salva fide pos-
sum. Charum quidem corpus, chara vi-
ta, chara uxor, soboles chara. Sed non mi-
nus mihi charus est amicus tam fidelis, ut
mea causa nervo etiam cervicem praebe-
at. Egone illum negligam? egone dese-
ram illum, qui me oculis ac vita sua chari-
orem

orem habuit ? Fidem itaque servabo
intemeratam : Et uxorem meam ac li-
beros moriens Diis commendabo , &
bonorum virorum tutelæ. Sed en ipsa
procedit mihi obviam , de qua loquor.
Credo , quod animus adventum ipsi me-
um præfagiverit.

Salve, uxor optatissima. Quid fit, quid
agitur ? Valeſne cum ſuaviſſimis liberis?
Longa proculdubio vobis fluxerunt atq;
ingrata tempora, quæ hucusq; reditum ad
vos meum ſunt morata ?

UXOR. Diis pol habeo gratiam, mi Vir,
qui te incolumem , ad nos reduxerunt.
Ego cum liberis noſtris ſatis rectè valeo.
Sed quomodo tu interim valuisti, dum à
nobis abſuiſti tam procul ?

DAMON. Res noſtræ non ſatis ex ſen-
tentia ſucceſſerunt. Gauderem equidem,
mea lux, ſi fortunâ magis favente uterer.

UXOR. Quid mali evenit ? die obſecro:

DAMON. Res meæ non ſunt in eo ſta-
tu, quo vellem. Itaq; ſtatim per ſervulum
propinquos tuos accerſi jube. Illis epim
præſentibus narrabo omnia.

UXOR.

UXOR. Heu mihi, optime conjunx,
quam tristem apportas nuncium! Abitu
ocyus Syre, & fratres atq; affines meos
ora, ne venire ad me cunctentur. Mari-
tum enim meum ad nos revertisse, qui de
rebus necessariis & gravissimis sermones
cum illis conferre cupiat.

SYRUS. Memor ero officii mei, & eos
dicto citius adducam. Sed videone illos
ipso? Herus meus redux salvere vos ju-
bet, utq; illico domum suam mecum ve-
niatis, rogat. Ardua enim negotia sibi
ait vobiscum tractanda esse.

PHILOXENUS. De felici adventu gra-
tulamur ipsi: atq; è vestigio te sequemur.
Quid narrat, quaeso? salvane sunt omnia?

SYRUS. Non hercle otium fuit mihi
sciscitandi, cum properè juberet. Hera ut
vos accersem. Ipsi rem omnem co-
nosceris, simulatq; in aedes introjeritis. Hera
factum est, quod imperasti. Jam enim hic
aderunt, quos vocari jussisti.

MENEDEMUS. Magno me hercule
audiendi desiderio teneor, quid in exte-
ris regionibus factum sit affine nostro.

PHILOXENUS. Salvum te advenisse gau-
demus,

demus, Affinis desideratissime. Nam vix
quicquam spei de reditu tuo nobis fuit re-
liquum.

MENEDEM. Quid tu tristis es, Damon?
Nunquid iter non latis ex voto confeci-
sti? Ne quaeso nos cala. Nam aut conso-
lando, aut consilio, aut re ipsa pro virili te
adjuverimus. Edissere modo, quae sit cau-
sa aegritudinis.

DAMON. Vestram, optimi affines ac
necessarij, benevolentiam inde perspicio,
quòd ad preces meas statim nos accesserit-
is. Itaq; scire vos velim, quòd eruditio
mea ad magnos honores in aula Dionysij
Siciliae Regis me evexerit. Nam is & cõsi-
liarium suum me delegit, & ardua secre-
taq; negotia mihi commisit, & inter pri-
mos aulae suae familiares numeravit. Quae
res malè (ut suspicor) habuit ceteros, qui
non perinde eminebant dignitate, neque
Regis florebant gratia. Itaq; non quie-
verunt, donec falsis delationibus animum
Regis à me alienarunt, adeò quidem, ut
Rex me in carcerem conjectum suppli-
cio mox affici jussisset: nisi quidam auli-
corum vix magnis tandem precibus im-

I

petras-

petrasset à rege, ut ad res meas ordinandas domum me dimitteret: hac quidem lege, ut constituto tempore Syracusas redirem, & interim meo loco amicū quendam tanquam vadem substituerem: qui capitis periculo lueret, nisi ego ad dictum diem adessem. Sed promisi me bona fide rediturum, ac promissis etiam stabo sine dolo ac fraude. A vobis igitur, Affines ac necessarii, peto, ut uxorem, & liberos, & cunctam familiam vobis commendatam esse patiamini.

UXOR. Ah, quid insolens ex te audio, mi vir? Tūne miseram me deserēs? Tūne communem sobolem, parvulam sanè ac tenellam, præsidio tuo destitues? Tūne morti ultrò te objicies? Vestram fidem imploro, fratres atq; affines mei. Cavete per Deos immortales, ne vir meus in hac sententia persistat.

ALEXANDER Aff. Mirari satis non possum, Affinis conjunctissime, quòd conjugem ac liberos tuos amico posthabeas. An id facias ex officio boni viri, liberum cuivis relinquo iudicium.

DAM.

DAMON. Memini ego, quod sit viri boni officium.

PHILOXEN. Idcircone sororis nostrae tibi conciliavimus nuptias, ut ea viduam agens vitam, liberos videret orphanos, atque omni parentis auxilio destitutos? Haecine est fides? Sed meliora de te nobis pollicemur.

PHILIPPUS. Et ego velim te minus in sententia pertinacem esse: sed uxoris & amicorum precibus cedere, neque admodum sollicitum esse, quid vadē tuo fiat. Tu quod periculum evitaſti, habes cur Diis agas gratias.

DAMON. Aliquid fortasse diceres, mi Affinis, nisi iurejurando me obstrinxissem, fore, ut elapsis viginti diebus redirem.

UXOR. Ne hic iurisjurandi scrupulus te pungat, marite dulcissime. Satius enim est pejerare, quam & conjugem, & sobolem, & vitam suam in discrimen adducere. Et quamvis sexcenties juraveris: tamen non patiar, non sinam te à nobis segregari.

PHILIP. Cogitandum & hoc tibi est, juramentum vi aut metu expressum

I 2 non

non esse obligatorium. Et si igitur lingua
jurarit: tamen mentem injuratam geris.

DAMON. Atqui non ut talis, sic etiam
juramentis ludendum est. Reperit enim
vindicta nocentem: & qui perjurio sciens
fallit, non ipse tantum, verum etiam
posteri ejus sunt infelices. Si itaq; pejeran-
do vitam meam prorogarem: tum & me
fraus mea vexaret maximè: malæq; cogi-
tationes, & conscientia animi terrent:
& verò conjux quoq; mea ac liberi suavissi-
mi, juramenti à me violati poenas non
effugerent. Quo ore, qua fronte honestos
viros posthac aspicerem, si tantum in me
scelus admittere: amicumq;, in re dubia
fidem suam pro me interponentem per-
fidè inducerem, deciperem, destituerem,
proderem? Præstat, præstat, in qua, semel
honestè mori, quam vivere diu turpiter.
Itaq; ne mihi auctores estote, ut duas res
sanctissimas violem, Amicitiam ac fidem.

Illud potius facitote, quod cum antea
petii: tum nunc etiam magnoperè à vo-
bis peto: ut fidei & curæ vestrae conjugem
sobolemq; meam habeatis quam comen-
datissimam. Utq; executores sitis ulti-
ma

ma voluntatis meæ, quã sciens prudensq; his omnino tabulis comprehendere atq; declaravi. Ibi omnes possessiones ac facultates meas, & pecuniam tam numeratam, quã quæ in nominibus, consignatam invenietis. Aedes præterea meas urbanas, & prædia quædam rustica sciatis nemini esse oppignorata. Horum itaq; omnium bonorum meorum, uxorem ac liberos meos instituo hæredes. Vosq;, amici & necessarii mei, obsecro atq; obtestor, ut pro fide & religione vestra, ex commodo eorum, qui vobis commissi sunt, tutelam geratis. Quod si filii mei ex pueris exceferint: artibus liberalibus eos institui, moresq; eorum honestè formari curatote. Quin etiam uxoris meæ charissimæ, fororis vestræ rationè diligenter habetote: & ærumnas illi pro virili parte sublevatote.

Postremò quoniam tempus discessus, immò excessus mei instat: gratias vobis universis & singulis ago pro omnibus officijs, hæctenus mihi præstitis: & vos deinceps benè valere, ac diu vitæ huius usura frui opto.

MENEDEM. Quandoquidem mi charissime

sime Affinis, stat sententia, ut à nobis digrediaris: I fanè, quò te fides ac jusjurandum tuum vocat. Quanquam vehementer nos illud perturbat, quòd malevolorum machinationibus & calumniis in has arumnas incideris. Speramus tamen, innocentiam tuam tandem à propitio aliquo numine resectum iri, & bonam causam adhuc triumphaturam.

Ad mandata ac postulata tua quod attinet: ne dubita, quin ita tutelam simus administraturi, ut bonorum virorum officium præsticisse meritò judicemur.

Actus V. Scena 3.

DAMON, UXOR, FILIOLUS ET FILIOLA, PHILOXENUS.

Confectis ergo, ut volebam, negotiis domesticis: properè jam iter longinquum ingredi necesse est.

Quamobrem, ô suavissima uxor mea quam ipsa luce chariorem habui, & ut propriam carnem fovi: Et à qua vicissim amatus cultusq; fui, ut par erat: tibi gratiam habeo pro fide conjugali, quovis tempore à te mihi declarata. Teq; majorem

in modum rogo , ut communes liberos
pro more tuo ames , & honestis moribus
informari cures. Negotia domestica , &
rationes pecuniarum omnes peculiari li-
bello comprehendi , quem propinquis
tuis tradidi. Ii enim liberorum nostro-
rum tutores, ac tui curatores erunt: & vos
quibuscunq; modis poterunt , juvabunt
ac sublevabunt.

Quamobrem animo ejice curam ac
solicitudinem omnem. Bene ac felici-
ter vale, mea lux.

Uxor. Si ullis precibus locus est, mi-
vir, ô præsidium & dulce decus meum:
oro atq; obsecro, ut vitæ tuæ parcas, nec
memiseram mulierem, ac hos tenellos
liberos tuos in eas angustias redigas, ex
quibus expedire nos nunquam possumus.
Propone tibi quæso, marite optime, quæ
viduarum fors sit, quàm contemnantur
& negligantur, immò illudantur ab omni-
bus, adeò quidem, ut ne panis frustulo, aut
aquæ haustu illorum indigentia succur-
ratur. Cogita insuper, quàm sprete & ab-
jecte jaceant hominum doctorum orpha-
ni liberi: quos ne alloquio quidem digna-

tur quisquam. Tantum abest, ut auxilio eos sublevare paratus sit. Hæc per Deos immortales, cum animo tuo repetas, mi vir, neq; me cum parvulis destituas.

DAMON. Non potest revocari propositum, aut iter meum differri. Quapropter mea conjunx, æquo animo hanc sortem tuam perfer. Et vos dulcissimi liberi benè valete ac vivite. Speraveram quidem futurum, ut vos meâ cohortatione & exemplo in viam virtutis deduceremini, ut solatium & columnen essetis senectutis nostræ. Verùm illa spes jam decollavit. Itaque adeste, & ultimum vale mihi dicite, basiolumq; discedenti figite.

FILIOIUS. Absit, mellitissime Pater, absit, ut à nobis discedas. Quin potius tu domi nostræ diutius commoraris, & cum suavissimâ materculâ vivis. Nam quid est, quod tam procul à nobis discedere cupias? Mane, mane, mi pater, ne te fortè immanes lupi, aut ursi in silvis adorianentur atq; dilanient & nos eâ ratione parente charissimo orbatu esse cogamur.

UXOR. Ni hæc animum tuum emolliant: ferreus oportet, aut è scopulis natus sis,

sis. Vide, quàm ardentem te amet filiulus,
ut etiam genua tua amplectatur.

DAMON. Noli flere, mi nate. Fortassis enim brevi ad vos sum reversurus.

FILIOLA. Ah mi pater blandissime, ne à nobis digrediaris. Ego enim novo strophio te donabo, & pulcras è floribus corollas tibi contexam, Mane nobiscum, mi Pater, Vix enim te agnovi denuo: vix nomen tuum exprimere jam didici: cùm antea balbutirem potiùs, quàm parentem nominarem.

DAMON. Atqui, ô suavissima puella, brevi ad vos redibo. Nunc itaq; vale: & tu Uxor vale.

UXOR. Hei mihi. postquam tu à me abis, animo malè fit repenti miseræ.

DAMON. Mea uxor, expelle animo ægritudinem Fieri enim potest, ut cum bona fortuna, Regis Dionysii gratiam recolligam, ubi ille innocentiam meam perspexerit. Dum igitur spiras, mea conjux, spera, & vale etiam atq; etiam.

UXOR. ô Cælum, ô terra, ô maria Neptuni! ô ubi sum, aut ubi non sum? Utinam Jupiter malis exemplis eos perdat,

qui harum miseriarum fuerunt auctores :
optimumq; maritum meum, quem eheu
postremum jam vidi, in capitis inevitabile
discrimen adduxerunt! ô dolor, ô miseria!
ô summe Jupiter, tu causam justam
adversus improbos defende. Tu inson-
tem virum meum indigno supplicio eripe.
Tu enim è caelo omnes mortalium
res justis oculis aspicias: tu hominum frau-
dulentorum artes intelligis & judicas. Ego
verò infelix interim crucior. Ah tene me
obsecro, ne cadam.

PHILOXEN. Ingredere in ædes, mea
soror, & quieto sis animo. Confido enim,
virum tuum indemnem futurum. Sceler-
atos autem istos pœnam admissi facino-
ris non effugituros. Durato igitur, & re-
bus temet servato secundis.

Actus V. Scena 4.

PHILETUS, HYBRISTES, MISOPHI-
LOSOPHUS, PHILOTYRANNUS.
DIONYSIUS, DROMO.

Hic equidem, ô Amici, vicesimus dies
est, ex quo hinc Regis cum venia dis-
cessit Damon. At illum rediisse, nondum
potui cognoscere. Hy-

HYBRI. Profectò grande scelus esset,
si perpetuò abesset, fidemq; Regi datam
frangeret.

MISOPH. Absit modò, si placet, quam-
diu volet. Est interim alius, qui pro ipso
luat pœnas.

PHILOTYR. Damonem quidem non
crediderim esse tam fatuum ac simpli-
cem, ut revertatur. Nam ille se pericu-
lum evitasse lætatur: ac domi cum uxore
& liberis securè vivit proculdubio.

HYBRIST. Verùm nõnne putas nobis
turpe esse, quòd ambo isti nostros cona-
tus eluserint, & viam qua effugerent, re-
pererint?

PHILOT. Regem adibo illico, eumq;
de hac re monebo. Sed commodè ipsum
advenientem video. Compellabo no-
strum omnium nomine.

Meministi proculdubio, sereniss. Rex,
quid non ita pridè denefario illo Damo-
ne fuerit decretum. Qui cùm pace tua do-
mum esset profectus: diebus viginti se ad
nos rediturum spondit. Atqui dies qui-
dè vicesim^o venit: sed Damon non venit.
Quod si lent^o eris in suppliciis irrogandis:
plures,

plures, ò Rex, Damonis impunitate ad peccandum illecti, turbas in hoc regno dabunt, vitæq; tuæ struent insidias. Quamobrem censeo, acerrima fieri debere iudicia, ut poena quidem ad paucos, terror autem ad multos perveniat.

DION. Pro Damone reum se supposituit familiaris ipsius Pythias ea lege, ut si ille ad diem non rediret, hic pœnam subiret capitis. Quandoquidem itaq; ultrò non ad carcerem tantùm, sed etiam ad mortem sustinendam se obtulit, nisi amicus denuo se sisteret: plectatur sanè capite. Volenti enim non fit injuria. Et cum ego ipse dehortarer Pythiam ab infano illo proposito: tamen ille, quòd nihil mali de Damone cogitaret, in incepto perstitit. Sed ut verum fatear, permutationem illam captivorum ea præcipuè de causa passus sum fieri: ut periculum facerem, an vera essent illa omnia, quæ priùs de sincera ac fideli amicitia sua jactaverant. Nunc vobiscum ipse supplicii Pythiæ spectator ero: ut cognoscam, quæ morientis extrema verba sint futura. Agite modò, & licetori continuo mandate, ut Pythiam ad suppli-

supplicium ducat, ac gladio caput ejus recidat.

PHILOT. Mox curabitur. Dromo, ubi es?

DROM. Adsum Here, quid vis? impera,

PHILOTYR. Ad lictorem ocius curre, & ut Pythiam è carcere eductum hodie obruncet, jube.

DROM. Parebitur mandatis tuis, Here: ne dubita.

Actus V. Scena 3.

DROMO, LICTOR, PYTHIAS, SERVUS
LICTORIS, DIONYSIUS.

A Rridebit lictori hic nuncius, fat scio.
Verum, si quod sentio dicendum est: cum urbis silvestribus versari mallet, quam cum isto cruoris avidissimo homine. Nam ubi ex me audiverit, sanguinem alterius per se fundendum esse: gaudio exultabit. Quamvis non nesciat, captivum illum Pythiam tam procul ab omni culpa abesse, quam ego sum. Ac nisi oculis parum prospicio, ille ipse istic adstat cum servulo. Heri itaque imperia volens nolens exsequar. Heus tu, serio edixit rex,
ut

ut Pythiam eum, qui vas pro Damone factus est, ex custodia in publicum productum, capite plectas,

LICTOR. Hic nuncius mihi gratissimus, & auro contrà charus est. Atq; utinam & tu similem lueres pœnam, meisq; manibus hodiè arbori infelici suspendereris! Adesdum servule: ut captivum illū è custodia tenebris extrahamus, & brevi tempore ad plures dimittamus. Sic enim confectis laboribus, dulce erit ad vesperam quiescere, & largiori haustu nos invicem recreare.

Tu Pythia, exire te hinc Rex jubet: factis enim diu hîc cessatum est. Quod si spondisti: noxam quoq; præstò esse memineras. Nam ego caput tuum ita dextrè amputabo, quasi nunquam collo positum fuisset. Efficiamq; , ne pro quoquam posthac amico fidem tuam interponas. Nónne credis, me tam scitum esse artificem?

PYTHIAS. Quamvis tu nugator absis, tamen ego mortem a quo animo operam: nec quicquã de amici fide cõquerar. Nullus enim dubito, quin rediturus fuisset,

set, nisi vis major ipsum prohibuisset. Sæpius enim antehac animus ejus, omnis doli ac fraudis expers, mihi est perspectus.

LICTOR. Frustra hæc tibi occinis, Ego enim lubricam ipsius fidem censeo.

SERVUS LICTORIS. Vah! tu homo nimis es credulus Ego enim tùm demum rediturum opinor Damonem, cùm rectè ingredientur cancri. Ac sanè vervecum in patria is mihi natus videretur, si hîc in carcere mortem opperiri, quàm domum uxore ac liberis tutò mallet vivere.

PYTHIAS. Magnum necesse est impedimentum illi objectum fuisse. Nam alioquin promissis suis stetisset, fidemq; suam, & me periculò liberasset.

LICTOR. Quicquid illo fiat, non euro. Tu modò propera, ut justa regis capefiam.

PYTHIAS. Mane fodes paulisper, dum ego regem, qui nobis obviam venit, extremum alloquar. Postmodò agas, quod lubet.

LICTOR. Hujus quidem voti te com-potem facere non recusabo, Verùm ne longo

longo sermone nos moreris. Interim
hoc poculum tibi propino.

PYTHIAS. Potum equidem non appe-
to. Sed potius regem affari desidero. Nam
oculos suos in me direxisse videtur.

DIONYSIUS Scis Pythia, quod me dis-
suadente, tibi ipse hoc malum accersiveris.
Quod ergo tibi intristi, nunc exeden-
dum est: sic vetus verbum jubet. Nam
quia rectè monentem audire noluisti: ti-
bi hanc ærumnam necesse est imputes. E-
go verò prudentiorem te existimassem,
quàm ut tam temerè te objiceres pe-
riculo.

PYTHIAS. Etsi Clementissime Rex,
mortem mihi oppetendam video, quam
plurimè mortales vel cogitatione perhor-
rescunt: neminem tamen accuso, cum
sponte & consultò me reum pro amico
supposuerim. Quia ergo ad diem di-
ctam ille non redijt, adversis (ut auguror)
casibus prohibitus: par est, ut egomet pæ-
nam illam, quam mihi irrogavi, subeam.
Ac sanè libenter & æquissima mente su-
bibito. Hoc tamen te oro, Rex Serenissi-
me: ut iram illam adversus Damonem
conce-

conceptam, meo supplicio satiatus de-
ponas: ejusq; vitæ, quam ego mei capitis
supplicio redemi, parcas. Nam quovis sa-
cramento ausim contendere, ipsum pau-
cis diebus post Syracusas reversurum:
Cumq; me gladio percussum esse intelli-
get: tam impatienter mortem meam do-
licurum, ut ægritudine animi tantum non
conficiatur: ac propterea supplicaturum
tuæ majestati, ut eodem in loco eodem
afficiatur supplicio, quod ego in fide con-
stans pertuli. Quod si igitur postulaveris:
obtestor te, ô Rex, ne postulatis ipsius an-
nuas: sed ita clementer illum tractes, ut
permissu tuo incolumis ad suos redire, ac
passim prædicare possit, se fidelis amici o-
perâ ex carcere, ac præsentissimo mortis
periculo liberatum esse. Huic petiti-
oni meæ, ô Rex, si locus à te dabitur: æ-
quissimo animo sine dolore, sine querela,
sine gemitu, animam exhalabo meam:
nec in ipsa morte Damonis, amici dulcis-
simi obliviscar.

DIŌNYSIUS. Hoc quidem optatū faci-
le à me fores, Pythia. Sed miror, quòd

K

etiam-

etiamnum pro illo deprecereis, qui si dem
fefellit, & te eò redegit, ut supplicium
perferre cogaris, quo ille dignus fuit. Ac
nisi per sceptrum hoc jurassem, te loco
ipſius jugulandum eſſe: utiq; vitæ tuæ par-
cerem.

Pythias. Nequaquam, ut mihi par-
cas, peto: dummodò meo Damoni,
quem brevi hîc adfuturum præſagit ani-
mus, ſatis cautum ſit.

Dionys. Illum quidem huc reditu-
rum, nunquam credidero. Nam fraude
ac malis artibus reſertum pectus habet.
Itaq; non eſt, quod de eo ſis ſollicitus. Ve-
runtamen ſi redierit aliquando: fidei ac
precibus tuis hoc dabitur, ut ille ab omni
pena ſit immunis.

Pythias. Pro hoc beneficio, quod
amico te daturum polliceris, ô Rex: tibi
quantas animus meus capere poteſt, ago
gratias: & ut diu feliciterq; huic regno
præſis, opto.

Jana

Jam perfice, lictor, quæ tibi imperata sunt. Paratus enim sum profunderè sanguinem meum, postquam mei capitis periculo amicum servavi. Est hic, estanimus lucis contemtor: & istum qui vitæ benè credat emi, quò tendit, honorem.

LICTOR. Ergo in genua humi procumbe, Pythia, nam paucis me expediam: & gladio meo acutissimo caput tibi præcidam dicto citius.

Actus V. Scenæ 6.

DAMON, LICTOR, SERVUS LICTORIS, DIONYSIUS

EUNUCHUS, SYMMACHUS, THEODORUS CIVES: STHENIUS

SATELLÈS.

ME miserum, qui tandiu in itinere sum moratus! Vehementer enim animo angor, ac metuo, ne Pythias fidelissimus amicus meus capite jam sit truneatus. Iste enim strepitus ac

K 2 populi

populi frequentia, nescio quid mali de-
nunciare mihi videtur. ô Pythia, Pythia,
supernâ & vesceris aura Ætherea ?

LICTOR. Cujus hic vocem audire
mihi visus sum ?

SERVUS. Peregrini cujusdam vox ad
ad aures meas delata videtur.

LICTOR. Vah, ut in tempore adve-
nis ! Nam illo ipso momento, quo hic
Pythias vitam amissurus erat, tu Damon,
malo tuo fato impulsus, ades. Accede igitur
ad ignem hunc: calesces plus facis.

DAMON. O parce licitor, parce amico,
& gladium inhibe. Egomet enim adsum,
qui capite luam: in me convertito fer-
rum. O procul hoc à me absit, amicissi-
me Pythia, ut te in præsentissimum mor-
tis adducam periculum. Mallem enim
me nunquam natum esse, quàm videre,
ut innocens tu meâ causâ perires. Quare
surge, mi Pythia, ut egomet, quem Regis
sententia damnavit, extremo supplicio
afficiat.

DIONYSIUS. Quid ibi turbarum &
clamoris in populo oritur ?

LUXU.

EUNUCHUS. Ictum in hibe, licitor, dum
regi actutum hæc nunciavero.

SYMMACHUS Civis. Hic homo dice-
re possit, quid animi sit ei, qui vix tribus
digitis à morte remotus est? Proh Deum
fidem! quàm mirabiles sunt fortunæ vi-
ces! Ecce enim Pythias hic, cujus vita (ut
sic dicam) à tenui filo pendeat: oppor-
tunè adveniente Damone, ictum exit, &
capitis discrimine liberatur.

THEODORUS Civis. Dolendum pro-
fectò erit, si Rex istum, qui datæ fidei tam
probè memor fuit, occidi etiamnum ju-
beat: ac non potius spectatæ utriusq; fidei
vitam eorum condonet.

EUNUCHUS. Nunquam vidi quicquam
magis admirandû, O Rex, quàm id, quod
jam meis conspexi oculis.

DIONYS. Quidnam id est? dicocyus.

EUNUCHUS. Cùm jam licitor strinxis-
set gladium, ut uno ictu Pythiæ caput ab-
scinderet: eo ipso temporis puncto Da-
mon peregrè reversus, è turba profilit;
& clamore se ipsum præsentem esse testa-

K 3

tus

tus est: utq; amici in fontis vitæ parcere-
tur, postulavit.

DIONYSIUS. Mira narras, & quæ nun-
quam futura sperassem. Nam ne per som-
nium quidem, tam tenacem fidei Da-
monem futurum, cogitarem.

EUNU. Hinc igitur apparet, Rex Cle-
mentissime, quanta illi fide & vitæ integri-
tate præsent, qui calumniosè apud te sunt
accusati, quasi tibi fuissent infidiati. Certè
enim, nisi Damon optimâ niteretur con-
scientiâ, nunquam Syracusas rediisset, ubi
facile divinare potuit gladium cervicibus
suis impendere. Itaq; digni mihi viden-
tur ambo, qui clementiæ tuæ iudicio con-
serventur, ac vita donentur.

DIONYSIUS. Satelles, abi illico, & tam
Pythiam, quàm Damonem ad me acce-
dere jube. Sycophantas autem istos, qui
bonis viris perniciem machinati sunt, om-
nes multabo exfulio. Et sanè dudum
me cautiorem esse, nec tam multa susur-
ronibus quibusdam credere oportebat.

STENIUS Satelles. Heustu, LicTOR:
Licet tibi jam ocioso esse. Edicit enim
Rex,

Rex, mandatq; serio, ut captivos ambos
impunè dimittas. Audisti Regis senten-
tiam. Abi ergo, ac manum ab his absti-
ne.

LICTOR. Atqui nisi mercede prius
solutâ, ego hinc non abibo. Turpe enim
mihi est, manu & crumenâ ære vacuâ di-
scedere. Quod si sapius evenerit: nã ego
aut fame periero, aut coactus solum ver-
tero.

Ambo ergo ocyus è conspectu meo
vos subducite, atq; hoc votum à me au-
ferte: ut vel tellus ima vobis dehiscat, vel
Jupiter ad Erebi umbras fulmine vos adi-
gat! ô Pudor, ô dedecus! Itãne opimam
prædam è cassibus meis inopinatò ela-
psam esse! Hei mihi, cur illi priori non
statim caput amputavi, antequam alter
adveniens, impedimento mihi esset? Sed
ægroto dum anima est, spes est. Ita & e-
go confido, alios quosdam fore propedi-
em, qui in retia mea incidant, & hoc qua-
lecunque damnum periculo sui capitis
sarciant.

EUNUCHUS. Ecce tibi, Rex, fidum il-
lud

Iud amicorum par , eujus mutua & constans benevolentia , vel mortis periculo cognita & declarata fuit.

DIONYS. Obstupui Damon , cùm in ipso temporis articulo te ad nos reversum audivi. Et me hercle jam doleo , quòd nonnullorum persuasus obstrectationibus , gravius aliquid in vos statuerim . Nam fidem vestram per ipsas ærumnas lucere , hodiè perspexi . Itaq; rogo , ut quòd antè in vos peccaverim , mihi ignoscatis : meq; tertium in amicitiam vestram recipiatis : ac eandem mihi semper restemini , quam hoc die alter alteri fuistis testati.

DAMON. Nos primum grato animo hoc tuæ Clementiæ donum agnoscimus , quòd uterq; à morte liberati per te sumus . Quod verò in amicitiam nostram tertius adscribi cupis : eâ re magnopere latamur , optamusq; , ut tam adversis , quàm secundis rebus inviolatum perstet hoc fœdus . Quantum ad nos quidem attinet : non modò fidem intemeratam , sed etiam laterum nostrorum oppositus & corporum tibi pollicemur .


DION,

DION. Idem tibi per caput hoc iuro,
amorem constantem & puram fidem à
me vobis quocunq; tempore præstitum
iri. Nunc quoniam flebile principium
melior fortuna secuta est : intrò ibimus
in palatium : Vosq; deinceps semper ad
mensam meam accumbetis, & omnium
arcanorum consiliorum participes eritis.
Suadeo etiam ac hortor, ut è vestigio ta-
bellarium mittatis domum, qui conjuges
& liberos vestros latissimo incolumitatis
vestræ nuncio exhilaret; eosdemq; cum
familia & supellectile omni in hanc ur-
bem deportet : ut juxtà vobiscum fru-
ctum aliquem fidelis amicitiae vestræ per-
cipiant.

DAMON. Parebimus consilio & aucto-
ritati tuæ, Rex Serenissime.

STENIUS Satelles. Illi jam in arcem
euncti se receperunt. Ibi enim omnis ge-
neris ludicra instituentur certamina: qui-
bus ego quoq; intersim necesse est: Inte-
rim vos spectatores benè valete, & a-
micos probate, & probatos
amate.

PLAUDITE.



NORIBERGÆ,
Typis LUDOVICI
LOCHNERI.

ANNO

M. DC. XVII.

Decorative border with floral and geometric patterns.

RGZ,

DOVICI

ERI.

—
:

